3

F. NICOLAI CONCINÆ

ORDINIS PRÆDICATORUM

E

CONGREGATIONE

B. JACOBI SALOMONII

ORIGINES, FUNDAMENTA ET CAPITA

PRIMA DELINEATA

Juris Naturalis & Gentium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINES,
FUNDAMENTA, ET CAPITA
PRIMA DELINEATA
JURIS NATURALIS ET GENTIUM
QUÆ EXPLICABIT
IN GYMNASIO PATAVINO,
A MENSE NOVEMBRI ANNI MDCCXXXIV.

In ſequentem annum litterarium,

FRATER NICOLAUS CONCINA
Ordinis Prædicatorum,

E

CONGREGATIONE B. JACOBI SALOMONII,

PUBLICUS PROFESSOR METAPHYSICÆ.

I. Metaphyſicam univerſam jam tum tripartitam feci, cum primum rerum, a me in hoc Almo Gymnaſio, dicendarum, *Cenſum* edidi: atque duobus ſuperioribus annis poſteriores partes duas, *Noologiam*, ac *Theologiam Naturalem* explicui; quantum quidem rerum ipſarum amplitudo, ac temporum rationes tulerunt. Nunc rectus docendi ordo, atque ipſa partitio noſtra poſtularet, ut partem primam, *Ontologiam* quam dicimus tradendam ſuſciperemus hoc anno; qui pariter primus eſt recurrentis periodi triennalis, quæ nobis fuit ad provinciam noſtram obeundam, AMPLISSIMORUM REI LITTERARIÆ TRIUMVIRUM præſcripto, jam ab antiquis temporibus conſtituta. Sed quia pars hæc veritates, notioneſque exhibet admodum generales, ab omni re ſingulari, & a ſenſibus, vulgarique intelligentia valde ſejunctas, atque in abſtruſiore poſitas contemplatione, qui-

pora [illegible] poſſe, aut velle, experimento didicimus; iccirco eandem partem anno hoc intactam duximus relinquendam, eam opportuniore tempore tradituri. Speramus enim tandem aliquando factum iri, ut noſtrates quoque juvenes reſipiſcant, & non modo amœniorum litterarum, & eruditionis, ſed etiam ſcientiarum amore flagrantes, ſummam videant ad omnia prorſus genera doctrinarum *Ontologiæ*, ſive Philoſophiæ Primæ, atque Univerſalis neceſſitatem: quemadmodum eam perviderunt fere innumeri Tranſalpini (*a*) & pauci quidam Itali ſapientiores (*b*): eoque magis id nos futurum eſſe confidimus, quod certo novimus, pleroſque noſtræ nationis, eorum librorum lectione magnopere delectari, qui toti ſpirant univerſalioris Metaphyſicæ ſubtilitatem; illorumque etiam (quod maxime dolendum eſt) in quibus aut effuſa impudentia, & impietate, aut perfidia callidiſſi-

(*a*) Inter ceteros Leibnitius pluribus in locis, præſertim in Act. Erud. A. 1694. Baylæus Lett. 59. A Mr. Lenfant. *je trouve que vous embraſſez de très belles choſes, & ſur tout, la derniere m'en plait infiniment, où vous montrez que l'explication exacte, & pleniere de la moindre choſe conduit neceſſairment à la plus haute Metaphyſique. Il y a long-tems que j'ai dit cela a quelques-uns de mes Auditeurs, qui ſe plaignoient que dans les quèſtions les plus phyſiquès, je pouſſois juſq' aux Abſtractions*. Idem Tom. IV. Œuvrès Diverſ. De Metaphyſica Generali, quæ eſt ipſa *Ontologia* ita ſcribit. *Hæc eſt, quæ generales entium differentias perſcrutatur, quæ attributa eſſentialia a ceteris adjunctis rerum diſcernere docet, quæ ideas, ſeu principia æternæ veritatis ſuppeditat, quibus omnes veritatet aliarum ſcientiarum probentur, & ad que tanquam ad regulam expendantur omnium diſciplinarum principia peculiaria. Igitur neceſſaria in primis eſt illis, qui non leviter imbui Philoſophia, ſed ad intimos uſque receſſus illius pervenire cupiunt.*

Le P. Buffier, de la C. de J. Traité des Premières Veritez. Avertiſſement. *Jamais la ſcience des primières vèritez* (quæ eſt *Ontologia*) *n'a plus mèritè d'attention, que dans un tems comme le nôtre, où tout le monde ſe mêle de parler de tout, & même d'en dècider.*

Chriſtian. Wuolfius Ontologiæ p. p. Sect. III. cap. I. §. 219. *In Ontologia recludimus omnes cognitionis humanæ fontes*. Idem ibid. in Proleg. §. 6. *Quoniam Philoſophia Prima* (Ontologia) *methodo demonſtrativa pertractanda, ut diſciplinæ philoſophicæ ceteræ omnes eadem methodo tradi queant, quemadmodum ex demonſtratione anteriori liquet* (§. 4.)*; ideo nunc patet, quod in diſcurſu Præliminari* (§. 73.) *aſſeruimus, abſque Philoſophia Prima, philoſophiam in univerſum omnem methodo demonſtrativa pertractari non poſſe. Atque ea potiſſimum ratio nos impulit, ut tenebras ex Philoſophia Prima expelleremus, ne diſciplinæ ceteræ luce deficiente deſtituerentur. Patebit ſane ex pertractatione ſequente, quam turpiter ſe ſe dent vulgo de rebus maximi momenti miſere ratiocinantes, qui notiones in Philoſophia Prima* (Ontologia) *explicandas ignorant*. Idem ibid. §. 25. *Qui Leibnitii acumen admirantur, attoniti quaſi hærent, quando is Philoſophiam Primam*, Principem illam ſcientiam, *appellat. Ex hoc ipſo autem elogio colligitur, ſi vel aliunde minime conſtaret, Leibnitium Virum Summum, Philoſophiam Primam, ſeu Ontologiam pro Lexico Philoſophico minime habuiſſe.*

(*b*) Videantur præſertim Viri Clariſſimi, Ludovicus Antonius Muratorius in Tractatu Italico, cui titulus eſt: *Rifleſſioni ſopra il Buon Guſto &c. p. II. cap. XV.* aliiſque in locis ejuſdem operis: Paulus Mathias Doria in ſua Philoſophia Platonica Italice ſcripta: Johannes Baptiſta Vicus, *De Antiquiſſima Italorum Sapientia* lib. I. c. IV. §. I. ubi ait: *Illud adprime verum, quod Metaphyſica* (ideſt Generalis, quæ eſt ipſa *Ontologia*) *ſit omnis veri fons, & unde in alias*

hominia, aut ... de
rebus maximi momenti diſputatur: quos tamen libros certo certius vel ipſa conſtat experientia, nequaquam ab iis intelligi ſatis poſſe, qui in *Ontologia*, ſeu Phyloſophia Prima diu multumque via & ratione verſati non ſint. At vero haud credibile eſt, non demum fore, ut quemque pudeat, tales verſare libros, eoſque laudibus celebrare, ac de iis rebus velle diſſerere, & judicare, quibus aſſequendis ſe videat neceſſariis præſidiis deſtitutum. Donec ergo ad ſpem noſtram eventus reſpondeat, atque in his noſtris etiam regionibus *Ontologiæ*, aut univerſalis intimæque phyloſophiæ deſiderium vehementius accendatur, omnem curam, cogitationemque meam ad materiem ejuſmodi hoc anno explicandam converto, quæ vel ex vulgi ſententia, toti humano generi non modo utiliſſima, ſed etiam maxime neceſſaria habeatur: quamque a me pertractatum iri Ampliſſimos hujuſce Academiæ Moderatores æqui bonique facturos, nullus dubito. Nam *De Jure Naturæ & Gentium* diſſerere propoſitum mihi eſt: idque eo duxi lubentius faciendum, quod ex juris iſtius cognitione, atque cuſtodia maxime univerſa religio pendeat: non enim fere aliunde ortum ducit impietas, quam ex iniquitate (*a*). Deinde ex hac ipſa tractatione noſtra apprime ſtudioſi juvenes cognoſcent, quantum ſit, non modo *Ontologia*, ſed tota plane Metaphyſica neceſſaria ad præfati juris intelligentiam, & defenſionem contra homines exleges, & iniquos; tum ad ejuſdem veram originem, naturam, proprietates, & amplitudinem conſequendam: in quorum certe explicatione nonnihil peccarunt hactenus bene multi; atque illi ipſi, qui ejuſmodi juris principes profeſſores habentur, & ſunt Gemini Grotii, Seldenus, & Pufendorfius. Nemo vero a me integrum hoc anno expectet, ſuiſque numeris abſolutum commentarium. Latiſſimus hic namque dicendi campus aperitur, ex quo longe uberior ſeges rerum aſſurgit, quam ut intra unius anni litterarii anguſtias colligi poſſit, atque diſtribui. Quæ igitur ordine prima ſunt, & potiora, quæque adeo reliquis fundamenti loco ſtent, præſenti curriculo explanabo: ſicuti ex ſequenti enarratione fiet perſpicuum. Reliqua, quæ veluti ædificium ſuperſtruuntur, ſi Deus Opt. Max. vitam, ac bonam dederit valetudinem, duobus conſequentibus annis perſequemur.

 II. Scho-

II. Schola porro omnium prima proludendi cauſa , communi ego anticipatione ductus , factaque tantiſper hypotheſi (quam poſtea in theſim redigam) jus eſſe , non opinione , aut cujuſquam arbitrio , ſed neceſſitate naturæ conſtitutum , hac , inquam , ductus anticipatione , ſchola prima compertum efficiam , quam neceſſarium ſit diligentiſſimum ejuſmodi juris ſtudium , cum ubique gentium , tum in hac noſtra vel maxime Republica Auguſtiſſima , quæ ut in naturali libertate nata eſt , æternumque ſtabit , vero ſtatore Deo ; ita naturali etiam jure , & æquitate potiſſimum regitur , liteſque componit : quod longe ſatius eſt , quam juriſperitorum , cauſſarumque patronûm cavillationibus , ac ſæpe duriſſimis latis legibus , earumque interpretationibus adhærere .

III. Schola altera , ne ego forte viderer alicui in alienam meſſem falcem immittere , aut plus juſto proferre pomerium , & multis invictiſque rationibus , & plurium ſapientum virorum auctoritate declarabo , omnino Metaphyſicæ partes eſſe de Jure Naturæ , & Gentium diſputare . Quod quanquam mediocriter ego ipſe docuerim parte altera orationis meæ popularis , quam habui , cum primum ad Metaphyſicam publice profitendam acceſſi (qua in parte eo ſpectavi , ut hoc Philoſophiæ genus humanæ ſocietati per hæc maxime tempora neceſſarium eſſe probarem) ; præſtabit tamen iterum una integra Schola , itemque fortaſſe altera totam rem hanc fuſius perſequi , & accuratius demonſtrare : quam etiam certis de cauſſis mea intereſſe putavi , hoc ipſo in loco duobus præclariſſimis Ciceronis teſtimoniis confirmare ; ex quibus quiſque poſſit certo cognoſcere , ab omnibus tribus , quas ego feci , Metaphyſicæ partibus jus naturæ neceſſaria manatione oriri , eiſdemque indiſſolubili nexu alligari . Libro itaque primo de legibus (*a*) M. Cicero , ad Atticum , & Quintum Fratrem , affirmantes ſe cupere vehementer de jure ac legibus aliquid uberius audire , quam uſus forenſis deſideraret , *inquit : Et recte quidem nam ſic habetote , nullo in genere diſputationis ſic patefieri , quid ſit homini natura tributum , quantam vim rerum optimarum mens humana contineat , cujus muneris colendi , efficiendique cauſſa nati , & in lucem editi ſimus , quæ ſit conjun-*

ctio

ctio hominum, quæ naturalis ſocietas inter ipſos. His enim explicatis, fons legum & juris inveniri poteſt. Atticus. *Non ergo a Prætoris edicto, ut plerique nunc, neque a XII. Tabulis ut Superiores, ſed penitus ex* INTIMA PHILOSOPHIA *hauriendam juris diſciplinam putas.* Marcus..... *Nobis ita complectenda in hac diſputatione tota cauſſa univerſi juris eſt, ac legum; ut hoc civile quod dicimus, in parvum quemdam & anguſtum locum concludatur naturæ: Natura enim juris explicanda eſt nobis, atque ab hominis repetenda natura.* Et paulo poſt (*a*) idem Cicero Atticum alloquitur: *Das ne igitur hoc nobis Pomponi (nam Quincti novi ſententiam) Deorum immortalium vi, natura, ratione, poteſtate, mente numine, ſive quod eſt aliud verbum, quo planius ſignificem, quod volo, naturam omnem regi? Nam ſi hoc non probas, ab eo nobis cauſſa, ordienda eſt potiſſimum.* Ex his, credo, neminem non apertiſſime intelligere, Ciceronem in ea ſententia fuiſſe, ut arbitraretur, Metaphyſicam univerſam (quam etſi hoc nomine ignoravit, re tamen ipſa, ex parte ſaltem, perſpectam habuit) fontem eſſe juris naturalis, atque juris adeo univerſi. Nam *intimæ philoſophiæ* nomine, ex qua hauriendam juris diſciplinam putabat ille, ſicut ex ejus quidem verbis Atticus colligebat, quæ alia, quæſo, philoſophiæ pars recte poteſt intelligi, quam primum Metaphyſica univerſa, & generalis; quæ primas, intimas abditaſque rerum omnium notiones, origines, cauſſaſque veſtigat? quæ maxime finales cauſſas ſcrutatur, quæque, ut paucis dicam, generatim de cauſſa & ratione ſufficienti cujuſque rei, de vero & bono, de pulchro & perfecto, de unitate, diſtinctione, & ordine, de conſtantia & mutabilitate, de æterno, ac temporario, de poſſibili & impoſſibili, de neceſſario, fortuito, & arbitrario, deque aliis communibus rerum adjunctis, & affectionibus diſquirit.

IV. Deinde vero cum Cicero idem ſubjungit, naturam juris ab hominis repetendam eſſe natura, an non luculentiſſime peculiarem Metaphyſicæ partem deſignat, ideſt *Noologiam* quam dicimus nos; in qua unice agere nobis propoſuimus, de Mente, ſive Anima hominis, a qua tota hujus natura pendet; quæque a mente divina ſecunda eſt, eaque incorrupta & immortalis tabula juris univerſi.

V. De

Digitized by Google

V. Poſtremo dum Cicero, poſteriore loco adducto, profitetur, ſe de jure ac legibus verba facere non poſſe, niſi illi detur ab Attico *Deorum immortalium vi, natura, ratione, poteſtate, mente, numine .... naturam omnem regi*, ecquis non videat, ab eo prorſus *Theologiam naturalem* deſiderari ad perfectam juris legumque tractationem? Nam & ipſe ex Divina providentia, & ex humanæ naturæ cognitione *conabatur juriſprudentiæ principia repetere; non præſtitit tamen*; ut inquit prælaudatus Johannes Baptiſta Vicus *De univerſi juris uno Principio & Fine uno*, lib. uno, cap. 49. Quamobrem diſciplina Juris Naturalis & Gentium mihi recte dici poſſe videtur magna quædam doctrinæ de Anima hominis, Theologiæque naturalis appendix; niſi vero etiam pars utriuſque. Hæc cum pro ſua ipſorum conditione, & pro jure meo vindicando ſatis expendero, ad fundamenta præfati juris ponenda accingar.

VI. Quoniam vero ex Ciceronis ſententia paulo ante recitata, *natura juris explicanda eſt nobis, atque ab hominis repetenda natura*, oportebit profecto, ut (quantum præſenti quidem inſtituto videbitur expedire) naturæ humanæ cognitionem inveſtigemus: quam omnino a fonte & capite arceſſere neceſſe eſt, propterea quod cum Hobbeſianis, Spinoſiſtis, aliiſque hujuſce furfuris impiis iniquiſque Sophiſtis, qui rerum omnium radices vitiant, finteſque perturbant, manus conſerendæ ſunt. Principio itaque demonſtrandum erit, humanum genus, ſicut, & mundum univerſum, non aliunde originem ducere potuiſſe, præterquam ex creatione & efficientia unius Præpotentis Dei, ſumma intelligentia, adeoque libertate præditi: cujus exiſtentiam & naturam, diſtinctam atque diverſam ab omni mundo corporeo, multis eiſdemque germaniſſimis demonſtrationibus, anno præterito ab impiorum cavillationibus vindicavi. Utrum autem homines plures, an contra unus tantum, & fœmina una a Deo primum conditi fuerint, id ex naturali ratione ſcire non poſſumus, ſed ex divina ſolum traditione ediſcere. At enim unum ſaltem, & unam procreari debuiſſe, ac revera fuiſſe procreatos, certum & indubitatum faciam. Siquidem, ut nunc ex neceſſaria lege naturæ fit, ita quoque ſemper ex maris & fœminæ conjunctione homi-

eam ab omni æternitate minime effici potuiſſe ; nam tempore aliquo, quantumvis parvo neceſſario debet abſolvi : quam inſuperabilem rationem Ariſtotelem, alioſque non fuiſſe aſſequutos, mirabile dictu eſt. Sive autem ab uno primo conjugio, ſive a pluribus primis homines generatione propagari cœpiſſe fingerentur, utrumque ad finem, quem ipſe mihi præſtitui, æque conduceret. Uno namque, & altero caſu homines eandem obtinent naturæ communionem. Ac proinde in utraque hypotheſi locum habet, quod Cicero (*a*) optime ait: *Sicut una eademque natura mundus omnibus partibus inter ſe congruentibus cohæret, ac nititur; ſic omnes homines inter ſe natura confuſi, pravitate diſſentiunt, nec ſe intelligunt eſſe conſanguineos, & ſubjectos omnes ſub curam eandemque tutelam: quod ſi teneretur, Deorum vitam omnes viverent.*

VII. At forſitan non deerunt, qui hoc loco de me iis ipſis verbis mirentur, quibus (*b*) Atticus de Cicerone prælaudato, mirabatur: *Dii immortales, quam tu longe juris principia repetis!* Aſt ego velim etiam, ut quiſque illorum, qui de me mirabuntur, una cum Attico ipſo hæc ſubjiciat: *Atque ita, ut ego non modo ad illa non properem, quæ expectabam de jure civili; ſed facile patiar, te hunc diem totum in iſto ſermone conſumere. Sunt enim hæc majora, quæ aliorum cauſſa fortaſſe complecteris, quam ipſa illa, quorum hæc cauſſa præparantur.* Tale igitur & de iis, quæ ego præparo, cupio feratur judicium; quod facile ſpero ab æquis rerum æſtimatoribus impetrandum: quos nimirum haud latet, quam peſtifera per hæc mala tempora circumferantur genera doctrinarum; & quam longius ac ſubtilius conquiſitis fallaciis confirmentur. Pergam porro tenere viam, quam ſemel inſtitui.

VIII. Itaque creationi hominis demonſtratæ corollarii loco ſubjiciam, omnem ordinem, qui in homine ipſo ceteriſque rebus ſplendet, quique inter has & illum intercedit, a Deo pariter inductum fuiſſe; eundemque ordinem, facta creationis hypotheſi, partim neceſſarium, partim ex libera Dei electione profectum eſſe. Quemadmodum enim rerum naturæ & eſſentiæ a libero divinæ voluntatis delectu non pendent, ſed in divina

ſubſtantia & natura propter hujus ſummam fœcunditatem, tanquam in idea archetypa, neceſſario relucent, eademque neceſſitate ab intellectu divino percipiuntur; ita etiam in eadem divina ſubſtantia, præter omnem divinæ voluntatis deliberationem, ordo aliquis eiſdem rebus conveniens, ac neceſſarius apparet, cum quo ipſæ debent produci, atque conſiſtere, ſi quidem producantur & conſerventur: quod ſane totum in ſummo Dei arbitratu poſitum eſt; ſed ex infinita tamen ſapientia prælucente, ſine qua nullum poteſt eſſe arbitrium.

IX. Sic hominis detecta origine, illius ſubinde partes, naturamque expendam. Ut vero hominis partes duæ ſunt, corpus, & anima; cujus naturam immortalem, & ab omni concretione materiæ ſolutam, alias demonſtravi; ita etiam totius hominis natura, aut vita duplex eſt; una *ſentiens*, quam primitus homo vivere incipit: altera *rationalis*, cujus uſus & officia non illico a primo hominis ortu ſe produnt, ſed ætate ſolummodo ineunte, confirmatoque paululum corpore. Utramque hanc vitam, ſeu naturam, experientia magiſtra, oſtendam cognitione & appetitu abſolvi, ac perfici; ſed utriuſque cognitionis, & appetitus ingentia eſſe diſcrimina. Senſu tantum, & imaginatione duci, voluptate ac dolore cieri vitam ſentientem declarabo; adeoque eam non aliud bonum & malum percipere, neque aliud proſequi & averſari, quam quod dolorem & voluptatem per corpus, & rerum corporearum occaſione ingerit. Hinc aperiam, hominem hujus ſentientis naturæ vi neque diſcernere, neque appetere ordinem; in quem tamen fertur eadem natura, ſi ſibi relinquatur; ſed cæco impetu, ex legibus phyſicis ab Auctore naturæ præſtitutis: ex quibus etiam homo ſuæ ſentientis naturæ impulſu ad eam ſolam fertur conjunctionem, qua humanum genus propagatur: quæ propagatio, ipſa indicante natura, eſt *cauſſa finalis*, ſeu finis omnis conjunctionis, quæ marem inter & fœminam intercedere debet. Ex eadem porro cauſſa finali neceſſaria demonſtratione conficiam, omnem alium membrorum genitalium liberum uſum (quatenus ad generationem ea ſunt deſtinata) qui in præfatum finem non tendat, graviſſimum naturæ ordinem pervertere, & labefactare. Quod ſi aliud quandoque natura

poſſunt a Cauſſa Suprema ad univerſum ordinem flecti ; ſecus omnino a cauſſa privata , ſed de hoc alias ſermo redibit , cum de primo Juris Naturalis præcepto , quod eſt *honeſte vivere* , agendum erit .

X. Poſtquam de natura hominis ſentiente , quantum noſtra poſtulat inſtitutio, dixero ; in illius naturam rationalem diligentius inquiram ; utpote ex qua omne bonum , & malum morale , omne honeſtum , & inhoneſtum , atque jus omne unice fluit ; & quæ propria eſt hominis natura . *Homo* enim , ut inquit S. Thomas (*a*) *in ſpecie conſtituitur per animam rationalem , & ideo id , quod eſt contra ordinem Rationis , proprie eſt contra naturam hominis , inquantum eſt homo : quod autem eſt ſecundum Rationem , eſt ſecundum naturam hominis , inquantum eſt homo . Bonum autem hominis eſt ſecundum Rationem eſſe , & malum hominis præter Rationem eſſe* . Hanc naturam hominis propriam tribuam in partes duas , in *Mentem* , & *Voluntatem* . Illa circa omne verum , omnemque ordinem cognoſcendum occupatur . Hæc appetitus eſt , ſive facultas appetendi omne bonum , ſive hoc ad ſentientem , ſive ad rationalem vitam pertineat . Mentis cognitio , quæ ad rerum cognoſcendarum naturam , & ordinem conformatur , *Veritas* dicitur , & eſt : at contra cognitio illa , quæ ab ipſarum rerum natura & ordine diſſentit , *error* , & *falſitas* appellatur . Voluntas , quæ etiam *appetitus rationalis* nomen habet , neceſſario ordine naturæ (quod intimo ſenſu patet) omne bonum appetit ex mentis cognitione , & conſilio , atque ſententia Rationis , de qua paulo poſt . Atque hinc eſt , quod voluntas nuncupetur appetitus rationalis : qui rectus , honeſtus , ac bonus eſt bonitate nempe morali ; ſi cum rerum appetendarum natura , & ordine , a mente cognito propoſitoque , conſentiat . E contrario idem appetitus pravus , turpis , inhoneſtus , ac malus eſt , malitia morali , ſeu in genere morum , cum a natura & ordine rerum mente comprehenſo deſciſcit , atque deflectit .

XI. Mentem rurſus , quantum ad præſens attinet , dividam in *Intelligentiam* , & *Rationem* . Intelligentiæ nomine hoc loco ſignifico eam mentis facultatem , quæ prima principia *practica* attingit .

Digitized by Google

tingit, ſeu quæ primas elicit cognitiones, aut prima judicia rerum agendarum, cujuſmodi ſunt: *Omne bonum eſt amandum : omne malum fugiendum:* atque *Intelligentia* hæc pro habitu mentis accepta, peculiari nomine græcanico, appellatur *Synderesis*. Ratio autem eſt, quæ ex principiis illis, aut cognitionibus quibuſcumque antecedentibus, veritates, aut cognitiones alias exprimit, quæ itidem rebus agendis, vel appetendis, fugiendiſque inſerviunt. Utriuſque hujus facultatis munera luculenter explicabo. Quo in loco etiam, præter jam memoratum ordinem naturæ, rebus ipſis inſitum, alium pandam ordinem Rationis, quem ex ordine naturæ elicit ipſa Ratio. Nam S. Thomas (*a*) ſapientiſſime docet, *quod ſicut ordo Rationis rectæ eſt ab homine, ita ordo naturæ eſt ab ipſo Deo. Et ideo in peccatis contra naturam, in quibus ipſe ordo naturæ violatur, fit injuria ipſi Deo ordinatori naturæ*. Ceterum ipſum Rationis rectæ ordinem ex naturæ ordine derivari, idem S. Thomas (*b*) præmiſerat inquiens: *Principia autem Rationis ſunt ea, quæ ſunt ſecundum naturam. Nam Ratio, præſuppoſitis his, quæ ſunt a natura determinata, diſponit alia, ſecundum quod convenit*. ut, cauſſa exempli venereæ voluptates, quæ extra maris & fœminæ conjunctionem, percipiuntur, naturæ ordinem pervertunt. Ipſa autem maris, & fœminæ conjunctio extra legitimum Matrimonium, rectæ Rationis ordini adverſatur. Perceptione namque voluptatum primi generis *tranſgreditur* (inquit S. Thomas (*c*)) *homo id quod eſt ſecundum naturam determinatum circa uſum venereum : per alias autem luxuriæ ſpecies præteritur ſolum id quod eſt ſecundum Rationem rectam determinatum ex præſuppoſitione tamen naturalium principiorum*. Quæ hic obiter dicta ſunto ; fuſe autem ac dilucide exponam, cum de ipſo jure naturæ ediſſeram, cum quo repugnare demonſtrabo innuptos concubitus ſine indiſſolubilis vitæ ſocietatis obligatione ; qui concubitus, tametſi naturæ ordinem ſervent, tamen ordinem rectæ Rationis perturbant. quod ſatis eſt, ut jure naturæ vetiti eſſe dicantur: idque mirum eſt, non pervidiſſe germanos Grotios, Hugonem, ac Guilielmum, in hoc ceteroquin juris genere conſultiſſimos.

XII. Jam reliqua enarrare pergam, quæ de mente humana

ſum

... quatenus hæc est ... ſeu ex-
petendarum, fugiendarumque principium. Agam itaque de Rationis conſultatione, conſilio, atque deliberatione; quidque ſit judicium *practicum*, & *imperium* Rationis dicam. Maxime vero de ea mentis cognitione, ſive judicio, quod *Conſcientia* nominatur, & tam ad *Intelligentiam*, quam ad *Rationem* pertinet, diſſerendum veniet. Nam hæc *conſcientia* eſt *proxima* regula, ac norma omnium humanarum, ſive moralium actionum. Quem tamen *vocabuli conſcientiæ ſenſum*, ait Puſendorfius (*a*) *neque in divinis litteris, neque apud veteres Auctores latinos, quantum mihi conſtat, occurrere; ſed a ſcholaſticis primo introductum*. Quod ego non poſſum non vehementius admirari in homine ceteroquin docto & erudito. Nam in omni plane ſignificatione, qua a Scholaſticis *Conſcientiæ* nomen uſurpatur, illud tum in ſacris litteris, tum ab Auctoribus latinis ætatis aureæ uſurpatum fuiſſe, tam perſpicue, quam quod maxime oſtendam. Et a Cicerone quidem vix alio, quam Scholaſticorum ſenſu, frequentius adhibetur, ut multis ejus locis expreſſis patebit; e quibus unum quin iſthuc transferam, non valeo me continere. Ait ergo Cicero (*b*): *in omni vita ſua quemquam, a recta conſcientia tranſverſum unguem, non oportet diſcedere*. Ubi quis non videat, Ciceronem, conſcientiæ nomine, illud mentis judicium, aut Rationis rectæ dictatum intelligere, quo quid bonum, quid malum, quid honeſtum, quid turpe, quid juſtum atque injuſtum, quidque agendum vel non agendum ſit, judicamus? qui ſignificatus eſt præcipuus a Scholaſticis conſcientiæ nomini tributus. Puſendorfio tamen ſatis fuiſſet vel unum conſuluiſſe Calepinum, ne hac in re Scholaſticos argueret novitatis. Sed Theologos de ſchola Catholica, impotens carpendi, proſcindendique libido, hominem hæreticum, occæcavit. Qua etiam de cauſſa, facile crediderim, ab ejus Annotatore Barbeyracio, non fuiſſe lapſum hunc animadverſum; qui ceteroqui annotationes ſæpe multiplicat momenti longe minoris.

XIII. Conſcientiæ tradita definitione, ejuſque germana ſignificatione vindicata, ac triplici ejuſdem munere expoſito e doctrina S. Thomæ, & Ciceronis, aliorumque auctoritate ad-

hib-

hibita, illius faciam partitiones in Conſcientiam *Certam cum evidentia conjunctam*, in Conſcientiam *Probabilem, Probabiliorem, Dubiam, Scrupuloſam, Errantem*, & *Ignorantem*. Quarum omnium explicatiſſimas proferam notiones, diſcrimina, gradus, & regulas: atque hæc omnia, ſicut & reliqua deinceps, non meis quidem viribus fretus, ſed ad puriores fontes bibendo, multo felicius, Deo auſpice, ac verius explanabo, quam præſtitit Puſendorfius: de quo mihi videtur veriſſimum latum a Leibnitio judicium; dum ejus ideas cogitationeſque expendens, quæ ſpectant principia & fundamenta Juſti, atque Injuſti, dixit *il n'etoit pas entrè aſſez avant dans ces ſortes de matières* (*a*). Quamquam fateor Puſendorfius multa bonæ frugis habet, non ex ſua quidem penu deprompta, proprioque parta ingenio, ſed induſtria ſua ac labore multo, ex variis Auctoribus, etiam Scholaſticis, derivata, ſimulque contexta; ut ſæpe fit.

XIV. Poſt abſolutam tractationem eorum omnium, quæ de Mente humana ſcitu digna, ac neceſſaria eſſe putabo ad fundamenta firmiſſima jacienda Juris univerſi; de altero hujus principio ac fonte, quaſique domicilio, ideſt, hominis Voluntate, quæ & eſt altera præcipua pars *vitæ rationalis*, orationem inſtituam. Quoniam vero voluntas univerſe in rebus expetendis & fugiendis moratur, & ignoti nulla eſt cupido, nulla appetitio, nullaque fuga; iccirco ſtatim oſtendam, quo cognitionis genere voluntas excitetur, alliciatur, ſuadeatur, & moveatur: idque fieri non modo ſimplici mentis Intelligentia, & Ratione, ſed etiam ſenſus perceptione, delectatione, atque dolore, evincam. Ceterum naturæ ordo poſtulat, ut voluntas, quæ eſt appetitus rationalis, ordinem illum ſequatur, qui a recta Ratione præſcribitur, aut exhibetur: itemque tota rationalis natura, utpote nobilior, atque perfectior, moderari debet inferiorem hominis naturam ſentientem, iſtamque priori illi ſubigi neceſſe eſt, ut univerſus ordo ſervetur. Quod ſi contingat oppoſitum, voluntas reatum incurrit; dum ipſa, & naturæ, & rectæ Rationis ordine contemto, illecebris ſenſuum illecta diffluit, eorumdemque tyrannide tota rationalis natura

Lania-

laniatur. Id vero ... [illegible] ... frequentiſ-
ſime cur eveniat, ea eſt ratio generalis atque pulcherrima, quam reddit S. Thomas (*a*) inquiens: *in homine eſt duplex natura, ſcilicet rationalis, & ſenſitiva. Et quia per operationem ſenſus homo pervenit ad actus Rationis, ideo plures ſequuntur inclinationes naturæ ſenſitivæ, quam ordinem Rationis. Plures enim ſunt, qui aſſequuntur principium rei, quam qui ad conſummationem perveniunt. Ex hoc autem vitia, & peccata in hominibus proveniunt, quod ſequantur inclinationem naturæ ſenſitivæ contra ordinem Rationis.* Iſtius generalis cauſſæ aut rationis univerſæ a S. Thoma retectæ plures particulares exiſtunt, ac inter ceteras, & præ ceteris illæ, quas Cicero (*b*) perſequitur: *Animis*, inquit, *omnes tenduntur inſidiæ, vel ab iis* (parentibus, nutrice, magiſtro, poeta, ſcena, multitudinis conſenſu), *quos modo enumeravi, qui teneros & rudes cum acceperunt, inficiunt, & flectunt, ut volunt: vel ab ea, quæ penitus in omni ſenſu implicata inſidet, imitatrix boni, voluptas, malorum autem mater omnium: cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona ſunt, quia dulcedine hac & ſcabie carent, non cernimus ſatis.* Quibus, initio libri tertii Tuſculanarum quæſtionum, hæc omnino ſimilia, ſi non penitus eadem leguntur: *parvulos nobis* (natura) *dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibuſque depravatis ſic reſtinguimus, ut nuſquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum: quæ, ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem ſimul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur: ut pene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Cum vero parentibus redditi, demum magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat. Accedunt eodem poetæ, qui cum magnam ſpeciem doctrinæ ſapientiæque præ ſe tulerunt, audiuntur, leguntur, ediſcuntur, & inhæreſcunt penitus in mentibus. Cum vero accedit eodem quaſi maximus quidam magiſter, populus, atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque deſciſcimus.* Quibus omnibus rebus, ſi pue-

ros

ros, & adoleſcentulos procul abducere, & prohibere, tota ſollicitudine illi niterentur, quorum maxime intereſt; non tanta profecto humanum genus redundaret triſtiſſima ſegete vitiorum, neque illud in tam denſam atque aſperam quaſi malorum ſilvam abſtruſum, a bonis pauciſſimis lugeretur. Deus meliora faciat. Ego equidem, ut hoc loco dicam, quod de tota hac ſcriptione eſſet dicendum, probe cognoſco, me in his latius excurrere, quam unius informationis lex, & natura deſideraret. Sed & ſcribentis genio, imo & juſtiſſimo fini quidpiam eſſe tribuendum, negaverit nemo; præſertim ſi, quæ ſcribuntur, tametſi fuerint ultra debitum, non ſint tamen extra rem, de qua diſputatur.

XV. Filum nunc intermiſſum recipio. Poſtquam ergo generali quadam oratione naturalem ordinem explicavero; qui inter mentis Intelligentiam, Rationem, & Voluntatem, totamque vitam rationalem, & ſentientem conſiſtere debet: ſeriem deinceps, atque commercium cognitionum, humanarumque actionum, diſtincte evolvam; non ex aliqua quidem hypotheſi commentitia, ſed ipſa rerum natura conſulta, atque intimi ſenſus experientia advocata; adeo ut, ſi qui velit ac poſſit interiores animi ſui receſſus ſubire, & qua par eſt diligentia, & attentione perluſtrare, is proprio experimento comperturus ſit, rem non alio modo ſe habere, quam quo a me tradetur. Nemo namque eſt, qui ſi paullulum ſibi attendat, facile non advertat, primum percipi ſive cognoſci bonum, quocumque cognitionis genere id fiat; bonum autem cognitum ſtatim placet, ſi cognoſcenti quidem, penſatis circumſtantiis, conveniens eſſe intelligatur, vel utcumque congruere ſentiatur: inde enaſcitur deſiderium boni illius obtinendi: ex deſiderio oritur animi intentio, ſive propoſitum adipiſcendi bonum deſideratum: quo concepto propoſito conſultatio inſtituitur de eorum delectu, quæ ad conſequutionem boni propoſiti, quodque intenditur, conducibilia ſunt: ex conſultatione elicitur deliberatio, aut ſententia, ſive judicium, quo decernitur hoc vel illud eſſe deligendum: hoc Rationis judicium ſequitur voluntatis electio, quæ quandoque una eademque eſt affectio voluntatis cum iſtius conſenſu; quandoque vero hic ab electione diſtinguitur, eamque præcedit: ut

ſed unum tamen præ alio ſumitur. Facta electione earum rerum, quæ ad finem adipiſcendum conferunt, ſequitur earumdem rerum uſus, quo finis reipſa comparatur: ac demum in fine obtento, ejuſque poſſeſſione voluntas conquieſcit, illoque fruitur.

XVI. Hæc quæ modo delineavi, ut clariora evadant, exploratum faciam, in hominibus Ratione utentibus, quoties aliquid ſingulare expetendum, vel fugiendum eſt, ſemper præſto eſſe, aut continuo excitari ejuſmodi judicia, ſive ſententiæ generales: *Bonum eſt amandum. Malum fugiendum*: ex quibus neceſſaria, ac naturali conſequutione in voluntate enaſcitur amor erga bonum univerſum; & fuga univerſi mali. At raro, aut etiam forte nunquam judicia illa generalia, atque hæ amoris, & fugæ, ſive averſionis affectiones diſtincte, & clare, dum agendum eſt, ſe ſe produnt; tum propter boni, quod amatur, & mali, quod rejicitur, univerſitatem; tum propter eorundem judiciorum, atque ipſarum affectionum fere perennem in mente animoque præſentiam, ac tantam utrorumque enaſcendi facilitatem, ut non immerito dici queant quaſi quædam animæ noſtræ conſuetudines, ſeu potius naturales mentis, & animi emanationes, propenſiones, & inclinationes, uſu tamen Rationis, & exercitio circa ſingularia comparatæ. Nam, neque in animantibus brutis, neque vero in infantibus, Rationis uſu carentibus, extant generalia illa judicia, generaleſque amoris, & odii affectiones; ſed tam bruta, quam infantes Ratione deſtituti, ſola ſingularia bona, & mala, quæ ſenſus movent, percipiunt, & illa ſola expetunt, atque hæc ſola fugiunt, neceſſario voluptatis & doloris impulſu, ſine ulla comparatione, ulloque delectu. Et quanquam cum in brutis, tum in infantibus ſpecies aliqua, ſeu verius umbra collationis, & electionis appareat; nulla tamen in iis eſt Rationis comparatio, nulluſque adeo delectus; ſed in bonum unum præ alio neceſſario impetu feruntur, ob majorem vividioremque voluptatis commotionem ab uno, quam ab altero bono factam. In hominibus vero, jam Rationis uſu pollentibus, judicia illa generalia boni expetendi malique fugiendi, necnon amor ille univerſi boni, omniſque mali fuga ſunt altæ fœcundæque radices liberi arbitrii, aut libertatis, quæ eſt potiſſima voluntatis humanæ prærogativa.

a qua omnis honeſtas & turpitudo humanarum actionum, omne bonum, ac malum morale, ac omnis juſtitia & injuſtitia proxime fluunt. Propterea libertate ſublata, nihil ultra eſt, quod ſuapte natura honeſtum & inhoneſtum, juſtum atque injuſtum dici, aut eſſe poſſit. Id, quod ſuperiore ſeculo, per ſummam temeritatem, & impudentiam, inter ceteros maxime effutierunt Thomas Hobbes, & Benedictus Spinoza: qui cum a pleriſque gemini veluti dii, ac duo humanorum ingeniorum miracula habeantur, non vanum fuerit iſthuc attuliſſe, quid de illis ſenſerint Viri in orbe litterario Clariſſimi, deque nulla ſuperſtitione ſuſpecti, iidemque Philoſophi ſummi, ac majorum gentium Mathematici. Quod ad Hobbium attinet, Leibnitius (*a*) hæc habet: *Quid Carteſio in phyſicis, Hobbio in moralibus acutius? At ſi ille Bacono, hic Campanellæ comparetur, apparet, illos humi repere; hos magnitudine cogitationum, conſiliorum, imo deſtinationum aſſurgere in nubes, ac pene humanæ potentiæ paria moliri*. Humi ergo repit, judice Leibnitio, Hobbes Anglus, comparatus quidem cum Campanella natione Neapolitano, & profeſſione Dominicano, qui ſuarum cogitationum magnitudine in nubes aſſurgit. Idem quoque Leibnitius, ac inſuper Huygenius, NeWtonus, Bernullius, Fatius totam Spinozæ doctrinam valde contemptibilem judicarunt, vel nulla ad Religionem habita ratione. Idque narratur a Petro Bælio (*b*) his verbis: *Je finis par dire, que pluſieurs perſonnez m'ont aſſurè, que ſa doctrine, conſiderèe même independemment des interêts de la Religion, a paru fort mepriſable aux plus grans mathèmaticiens de notre tems*. Hæc ego velim, ſerio perpendant litterati illi minoris longe ſubſelii, qui Hobii, & Spinozæ, tanquam divina ingenia celebrant, eorumque libros ad aſtra tollunt: quibus tamen in libris, cæcum eſſe oportet, qui non videat monſtroſas quibus ii ſcatent, rerum dictorumque repugnantias contrarietates, & contradictiones; tum ſumptiones, ſive hypotheſes plane arbitrarias, ad libidinemque confictas, notiones, definitioneſque ab rerum natura remotiſſimas; ac demum aſſertiones abſolute poſitas non modo apertiſſime iniquas & impias, verum etiam nullis, ne apparentibus quidem, argumentis confirma-

Jam præſtat ut delineare pergam, quæ de libertate humana erunt a me explicanda.

XVII. Niſi vero noſmetpſi in ambages, & tenebras conjicere & vana ac falſa conſectari velimus, tam certum eſt, tamque nobis ipſi conſcii ſumus, liberos nos eſſe ea libertate, cujus mox dabo notionem, quam certum eſt, & quam conſcii ſumus, nos cogitare. Tria namque ad liberi arbitrii, ſeu libertatis, qua de agimus, notionem & naturam deſiderantur atque ſufficiunt. 1. ut voluntas per ſe & ſuapte natura ſit activa, & idonea movendo tum ſeipſam, tum alias pleraſque hominis facultates, tamquam principalis quidem cauſſa, at primæ tamen cauſſæ ſubjecta. 2. ut ſit indifferens, hoc eſt ſuapte natura ex æquo ſe habeat ad agendum & non agendum, tum ad agendum unum & alterum contrariorum, aut diverſorum. 3. denique oportet, ut voluntas, quæ libera ſit, poteſtatem, auctoritatem, imperium, ac plenum dominium habeat omnium ſuarum actionum, tum illarum etiam, quæ ab aliis hominis facultatibus, ipſi voluntati ſubjectis, eliciuntur. Hæc omnia quiſque ſibi diligenter attendens, intima experientia, intimoque ſenſu perſpicue ſuo in animo deprehendet. Nemo namque eſt, qui, niſi quandoque ex ſubita ſenſuum affectionumque commotione, uſum Rationis præveniente aliquid agat; nemo, inquam eſt, qui non ſentiat, ſe de rebus agendis ſecum ipſo conſultationem inire, & deliberare, hoc eſt ſententiam ferre: quod tamen perſæpe citiſſime fit, ac veluti ictu oculi, in iis maxime, quibus frequenti & longa exercitatione animus aſſuevit. Ideo autem hominis Ratio conſultationi inſtituendæ par eſt, variiſque ferendis ſententiis tum de una eademque re agenda vel non agenda, tum de rebus diverſis, aut contrariis præferendis, aut poſtponendis, quia ſimplici ac neceſſaria mentis intelligentia continuo præſto ſunt generalia illa dictata: *Bonum eſt amandum: Malum fugiendum*: quorum ope ac virtute latiſſime patenti Ratio poteſt varias innumeraſque facere aſſumptiones, ſimileſque ac totidem promere concluſiones, ſive ferre ſententias circa res omnes ſingulares, in quibus Boni, aut Mali natura ineſt, vel ſaltem apparet ineſſe. Ubi autem conſultationi, atque deliberationi datur locus, ibi quoque voluntatis facultatem activam, & indi-

nium actionum eſſe oportet. Duo vero neceſſaria ſunt, ex quibus proxime voluntas ſe poſſit determinare & applicare, ſeque reipſa determinet, & applicet ad unum præ alio amplectendum, vel fugiendum. Requiritur nempe judicium, ſive ſententia Rationis, qua judicatur, atque decernitur quidpiam agendum eſſe, vel non agendum, aut unum alteri præferendum. Deinde requiritur voluntatis ſeu appetitus affectio aliqua, quæ judicium illud, ſive ſententiam Rationis antevertat. Statim enim ac bonum aliquod conveniens, aut malum contrarium percipitur, ante omnem deliberationem, amoris, & deſiderii, vel averſionis & odii affectus in appetitu ſeu voluntate exoritur: cujus affectus efficacitate, niſi ille cohibeatur, Ratio impellitur ad ferendum judicium eidem affectui conſentaneum.

XVIII. Ceterum neque Rationis judicium, quantumvis firmum & evidens ac decretorium, neque ulla voluntatis affectio, quantacumque illa ſit, neceſſario determinant & adigunt voluntatem ipſam, quæ ſua ſe poteſtate, ſuaque auctoritate & dominio determinat, & applicat ad eligendum, quod ſibi libuerit; judicio tamen Rationis perſuaſa, ſuaque propria antecedente affectione illecta, & ſollicitata; minime vero fatali impetu compulſa, aut vi inſuperabili attracta. Trahit equidem ſua quemque voluptas; ſed vigili & advertente Ratione, deliberantem & eligentem trahit. Non dico *volentem*, ſed *eligentem*; quia & liberi arbitrii hoſtes vel infeſtiſſimi, affirmant, quod negare non poſſunt, unumquemque volentem & libentem agere, voluntate ſaltem exequutionis, & conſequente. Nullum porro unquam a Ratione fertur judicium ita fixum ac certum, atque, ut ſic dicam, ita ſolitarium de bono aliquo eligendo, maloque fugiendo, quin ſimul exadverſo alia appareant ferenda judicia, ſeu diverſa, ſeu contraria, vel quidem contradictoria, una cum argumentis, quibus illa poſſent firmari, quibuſque voluntas valeat adhærere, aut ſaltem Rationem propellere ad accuratiorem maturioremque veſtigationem. Unde quoque patet apertiſſime, voluntatis ſeu appetitus affectionem, quam diximus, etſi vehementiſſimam, aut recta cicurari poſſe & extingui, aut vero multiplici via ac modo dex-
-re & oblique ab ea declinari, ita, ut affectio ipſa vel a fronte

quidem oppugnata, vel animo ab ea utcunque averſo, alioque diſtracto, ſponte ſua langueſcat, & extinguatur. In contrarium noſtræ huic doctrinæ certiſſimæ errorem iverunt Janſeniſtæ, Scripturas, & ex Patribus Auguſtinum præcipue ſine accuratioris philoſophiæ præſidio interpretantes: qui aut terrena eaque indomita cupiditate, aut cœleſti, & indeclinabili delectatione, *victricem*, quam dicunt, voluntatem humanam neceſſario pertrahi, compelli, vincique affirmant: quam proinde non a neceſſitate liberam faciunt, ſed ſolum a moleſta coactione, & violentia immunem; quod nemo poteſt, ne ſomniando quidem inficias ire. Nam quod volumus, profecto volumus: atque hoc unum eſt, voluntatem eſſe coactionis, & violentiæ expertem. Maxime vero dolendum, errorem hunc jam diu latius ſerpere, eorumque etiam animos ſubire, quibus nulla eſt Janſeniſtarum cura. Ad hunc ſcopulum allidunt non modo diſſoluti & impii, ſed etiam quibus Religio maxime cordi eſſe videtur. Duos ego cauſſa exempli prodam hoc loco. Prior eſt Chriſtophorus Wittichius hæreticus quidem, ſed ſtrenuus alioquin Spinozæ oppugnator, qui ait (*a*) *hæc eſt libertatis noſtræ idea, quod agamus volentes, & libentes*: eandemque ideam multis aliis in locis ejuſdem operis obtrudit, & fuſius explicat. Alter eſt Johannes Lockius, quem ego pariter hæreticum agnoſco, impium vero ſive Atheum nequaquam: tametſi plerique impii eſſe cupientes, illum, utpote, quemadmodum ipſi putant, philoſophum omnium celeberrimum, ad ſuas partes trahere conentur: quem tamen Leibnitius alicubi Metaphyſicum appellat levioris armaturæ: Ego vero ipſum magni certe facio; ſed fatendum eſt, multa peccavit, & ad rem quidem noſtram præſentem quod attinet, ex profeſſo docet (*b*), *deſiderii inquietudinem proxime determinare voluntatem*: quam tamen, pro religione, pro honeſtate, & pro juſtitia certo certius tenendum eſt, a ſeipſa, quemadmodum nos dicimus, ex poteſtate ſuoque arbitrio determinari; a ſeipſa, inquam, inſtigata tamen, ſed haud neceſſario compulſa deſiderii inquietatione. Concedendum vero eſt, voluntatem nunquam, pro arbitrio ſuo, unius rei præ alia delectum habere, niſi ex prævalente

lente aliqua affectione, & prælationis judicio. Voluntas ſiquidem cum pro ſua natura & conditione abſolute ſpectata, omnique peculiari affectu exuta, ſimiliter ſe habeat ad omnia peculiaria bona ſibi convenientia expetenda, & mala contraria aſpernanda, ex ſe vim profecto majorem non habet, neque adeo ſufficientem, unius potius rei, quam alterius eligendæ. Nihil autem fit, neque fieri poteſt ſine vi, aut ratione, & cauſſa ſufficienti; &, ut habet veriſſimum effatum Peripateticum, *ex eo, quod eſt ad utrumlibet, nihil ſequitur*. Oportet ergo voluntatem & ſua aliqua prævalente affectione allici, & præferente Rationis judicio ſuaderi, ut rem unam præ alia deligat, aut unam certam expetat, vel non expetat. Sed hoc ſemper alte maneat mente repoſtum, in ejuſdem voluntatis arbitrio, & poteſtate poſitum eſſe, ut ipſa poſſit ſuam prævalentem affectionem cohibere, mitigare, ac demum extinguere, nec non Rationem urgere ad judicium, ſive ſententiam vel ſuſpendendam, vel ante executionem commutandam, aut alteram alterius loco ferendam. Quamobrem concluditur, nunquam fieri poſſe juxta leges præſtitutas, ut, vigilante quidem, & advertente Ratione, voluntas in rem aliquam ſingularem neceſſario feratur, vel ab ea avertatur. Ex hac namque Rationis vigilantia, & attentione, vel ſaltem animadverſione, aut cogitatione aliqua reflexa ſe ſe produnt ſemper notiones, & momenta, ex quibus prior & prævalens affectio, præter deliberationem exorta, comprimi, & alia excitari queat; tum judicium, aut ſententia ſuſpendi, & commutari, vel alia atque alia ferri. Quæ omnia diſtinctius in Schola enucleabo.

XIX. Secundum abſolutam, quantum noſtro quidem inſtituto conducibile erit, de Humano Arbitrio diſputationem; Bonorum partitionem faciam, atque malorum, ſeu res expetendas & aſpernandas in varia genera tribuam, earumque notiones, proprietates, & gradus tradam, atque ſignabo. Tum adverſus Hobbium, Spinozam, alioſque ſive Dogmaticos, ſive Pyrrhonios tam veteres, quam recentes evincam, quidpiam ſuapte natura honeſtum eſſe ac turpe. Hujus autem honeſtatis & turpitudinis naturalis originem, ſtatuam, omnino repetendam eſſe ex ſempiterno ac neceſſario ordine rerum in ideis Mentis Divinæ

ejus arbitrariam impoſitionem; contra ac pluribus in locis, cum in Volumine *De Jure Nat. & Gent.*, tum in *Eride Scandica* Puſendorſius perperam ſtatuit, juſte propterea a Velthemio, aliiſque reprehenſus & impugnatus, neque ſatis purgatus, atque deſenſus a Barbeyracio. In priore quidem lucubratione citata (*a*) ait Puſendorſius: *Ut diſciplina Juris naturæ .... veræ ſcientiæ menſuram implere poſſit, hautquidquam neceſſarium arbitramur cum nonnullis ſtatuere, quædam per ſe citra omnem impoſitionem eſſe honeſta aut turpia: & hæc facere objectum juris naturalis & perpetui.* Quam ſuam apprime falſam ſententiam, ſuoque etiam inſtituto ex parte contrariam in *Eride Scandica* fulcire contendens, mirum! quot in Velthemium evomuit convicia, maledictiones, & probra, non modo nobili viro, ſeu Dynaſte (vulgo Barone) qualis erat Puſendorſius, ſed homine etiam ruſtico indigniſſima.

XX. Hæc omnia excipiet generalis rerum expetendarum ac fugiendarum comparatio; cujus occaſione prodam Lockium citato ſuperius lib. & cap. §. §. 35. & ſeqq. minime aſſequutum fuiſſe communem, ut ipſe inquit, hominum conſenſum, affirmantium, voluntatem a bono & majori bono determinari, hoc eſt ad electionem & uſum aſtringi: in quam ſententiam auctoritate ductus cum aliquando & ipſe conceſſiſſet; ait, ſe ab illa recedere debuiſſe, examine adhibito intentiore: concluditque non bonum, aut majus bonum (quanquam cognitum perinde ut eſt reapſe) determinare voluntatem, niſi erga idem bonum acceſſerit inquietatio deſiderii: quod multis qua exemplis probare, qua rationibus pergit. Verum enimvero cum in intelligenda communi hominum conſenſione, tum in eo, quod ipſe affirmat, vehementer errat. Nemo namque mortalium unquam ſomniavit, voluntatem determinari a bono, vel majori bono, ſi illud tale eſſe cognoſcatur, ſola cognitione contemplatrice; ſed omnes conſentiunt, eam voluntatis determinationem ſequi ex cognitione *practica* ejuſdem boni, & majoris boni: hæ ſunt ſcholæ phraſes ſignificantiſſimæ, a quibus nec ipſe Lockius abhorruit, qui principia *practica* ultro diſcrevit ab iis, quæ in otioſa morantur contemplatione. Jam vero ecquis neſciat, furem Chriſtiana religione imbutum, deque ea minime dubitantem, cognoſcere, æternam felicitatem eſſe bonum quoddam in-

finite majus modica pecunia, quam furatur? Sed cognitio iſthæc in mera contemplatione ſubſiſtit: contra vero *practice* judicat, ſibi melius eſſe pecuniam furari, quam ab ea abſtinere propter ſummam felicitatem, quæ longe poſita adhuc eſt. Itaque fur, pecuniæ deſiderio vel amore correptus, eam putat pro tempore, quo ſic affectus eſt, majus bonum eſſe ſibi, quam ſempiternam felicitatem, cujus adeptione procul abeſt; & erga quam non tantum afficitur, quantum erga pecuniam. Ceterum neque bonum, neque majus bonum particulare, quodcunque illud ſit, & quacumque demum cognitione tale cognoſcatur, neque illius deſiderii inquietatio determinat voluntatem; ſed hæc ſeipſa pro ſua poteſtate & arbitrio, ut jam ſuperius dictum eſt, determinat; pellecta tamen & incitata eodem ſuo deſiderio majoris utique boni; non jam quod reipſa majus eſt, quodque tale eſſe cognoſcitur ſpeculatrice cognitione; ſed quod appetenti *practice*, & pro circumſtantiis, hic & nunc videatur majus, & convenientius ſibi eſſe: quod ſæpe quidem contingit occaſione deſiderii vehementioris. Nam pro eo quod quiſque eſt affectus plerunque de rebus judicat. At vero omnis affectio, ſive quodlibet deſiderium neceſſario ac ſine deliberatione in animo exortum, debilitari delerique penitus ad extremum poteſt, quoad uſus aliquis Rationis ſuperſit: qui ſi contra totus abſorbeatur; non jam ex arbitrio agitur, nihilque adeo peccatur.

XXI. Quæ hactenus delineavi, principia & fontes ſpectant actionum humanarum, ſive moralium: ſequentibus porro ſcholis earum naturam & affectiones conſiderabo, ut bonitatem, & vitioſitatem, ſeu honeſtatem, & turpitudinem, juſtitiam, & injuſtitiam, magnitudinem, & parvitatem; tum quæ ſint rationes & fundamenta actionum imputandarum, tam in bonam, quam in malam partem, diſquiram. Quod dum faciam plurium errata detegam, atque refellam; Stoicorum præſertim, quibus peccata omnia erant æqualia; & Puſendorfii, qui nonnulla ſane peccat in ejuſmodi actionum explanatione: ut cum cauſſa exempli ait (*a*) *Formale actionis moralis conſiſtit in imputativitate, ut ita dicam*. Quod nemo non videt, a veritate longius abhorrere. *Formale* namque, ſive forma aut notio propria cujuslibet actionis moralis poſita eſt in convenientia & diſcre-

pantia inter actionem ipſam, & ordinem naturæ, rectæque Rationis, necnon legem naturalem, aut voluntariam: ex quo oritur, ut actio imputari mereatur ad præmium, vel ad pœnam. Quid quod poteſt contingere, ut in foro humano imputatione digna actio cenſeatur, quæ revera moralis non ſit; eſto pro tali extrinſecus habeatur? Neque Nicolai Hertii annotatio ad eum locum ſatis eſt Pufendorfio ab errore vindicando, qui rurſus, ut cetera mittam, turpiter errat, cum eodem citato cap. §. 9. docet, ea, quæ gravioris metus cauſſa perpetrantur, imputanda non eſſe, tametſi ſuapte natura inhoneſta ſint, atque injuſta: ut, ſi quis declinandæ mortis cauſſa, ſibi a potentiore intentatæ, interficiat innocentem. Qua in re, ut optime notat Barbeyracius, liquido apparet, Pufendorfium minus diligenter verſatum fuiſſe, ejuſque principia minus firma eſſe, ſibique male invicem cohærentia.

XXII. Succedent diſputationes de multiplici ac vario humani generis, atque hominum ſtatu. Nemo vero expectet, me quicquam eſſe dicturum de feliciſſimo illo, ſanctiſſimoque ſtatu, in quo primos totius humani generis parentes fuiſſe conditos certo credimus, neque de ſtatu, ut vocant, *naturæ puræ*, atque *corruptæ*, & per Chriſtum Salvatorem reparatæ: hæc enim integra ad Theologos Sacræ Fidei remittimus. Nobis unice de iis propoſitum eſt diſputare, quæ ſolius poſſunt naturalis lumine Rationis retegi, & comprehendi. Neque etiam de ſtatu hominum phyſico verba faciam: ſed eorum multiplices ſtatus expendam, qui quoquo modo ad mores, & jura quælibet perſcrutanda & internoſcenda conducunt. Quæ certe ſtatuum genera, fatendum candide eſt, egregie Pufendorfius inquiſivit, atque diſtinxit: quare a malevolis per ſummam injuriam fuit hac de re, ſicut de aliis plerisque, ad invidiam traductus; ſi hoc unum tamen, quantum ad præſens attinet, excipias, quod hypoteſis loco ille habeat, potuiſſe abſolute hominem exlegem vivere, dum id fatetur Dei bonitatem minime decuiſse, neque humanæ naturæ dignitati congruere. Aſt ego contra ſtatum exlegem, & ipſam hominis naturam, qualis reipſa eſt, omnino inter ſe repugnare certiſ-

nis, atque perſpicuis rationibus commonſtrabo. Hic Puſendorfii error ex illo altero profectus eſt, quod nihil honeſtum eſſe, aut turpe, nihilque juſtum atque injuſtum ratus ſit, niſi libera Dei impoſitione, & lege arbitraria. Quod adeo falſum eſt, ut, quanquam delirando fingeremus, homines, quales reipſa ſunt, ſponte e terra prodiiſſe, aut undecunque in hunc verticem projectos, ſine ullo conditore, & legislatore Deo; exleges tamen eſſe non poſſent: eis ſiquidem lex eſſet ſua ipſorum Ratio; ſicut & nunc eſſe adverſus Seldenum quoque defendam: quæ Ratio & rebus inſitum ordinem cognoſcit; & ex hoc alios peculiares ordines ratiocinando depromit: in quorum omnium ordinum cuſtodia honeſtas, & juſtitia; in perturbatione vero turpitudo, & injuſtitia conſiſtunt. Quamobrem ſicut Atheus poteſt eſſe geometer, etſi certum ſit, ſine Deo neque res geometriæ ſubjectas, neque Atheum ipſum, neque vero rem aliam quamlibet poſſe exiſtere, imo ne poſſibilem quidem eſſe; ita Atheus ipſe utrunque poteſt, & cognitione attingere, & pro ſua libertate quadantenus ſervare officia honeſtatis, & juris; quemadmodum ſcite animadvertit Leibnitius tum in Præfat. *ad Codicem Juris Gentium Diplomatici*, tum in latina *Theodicææ* editione §. 184. quo tamen poſteriore loco fatendum eſſe, ait, quod *ex hypotheſi Athei jus naturæ foret imperfectius*. Confeſſio ſane veriſſima: nam de exiſtentia Dei, ejuſque providentia perſuaſione ſublata, ac omni religione excuſſa, in quibus momenta ſunt maxime ad bene vivendum; ceteræ omnes, quæ ſuperſunt, officiorum cauſſæ & rationes nutant, atque vacillant, & exiguo admodum ſunt incitamento. Hinc inter chimæras, & commenta vaniſſima rejicienda ſunt, quæ Bælius aggerat, ut Atheorum extollat juſtitiam & honeſtatem. Nam ut Ciceronis verbis utar (*a*), *haud ſcio, an pietate adverſus Deos ſublata, fides etiam & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus, juſtitia tollatur*. Ceterum pro veritate rei, homo non eſſet exlex, *etiamſi daremus, quod ſine ſummo ſcelere dari nequit, non eſſe Deum, aut non curari ab eo negotia humana;* ut ſapienter monet Grotius (*b*). Etenim ſi homo, hypotheſi quidem repugnante, exiſteret,

quan-

ctata vim legum naturalium obtinerent ; quibus obſervandis obligaretur homo ipſe ; quippe qui pro conditione ſuæ naturæ, quæ maxime in Ratione poſita eſt , vivere deberet . Ob tranſgreſſionem tamen , ea facta hypotheſi , nullas pœnas eſſet daturus , præter conſcientiæ ſtimulos , ejuſdemque Rationis objurgationes, aut repugnantiam .

XXIII. Quo vero diſputatio noſtra de variis hominum ſtatibus, qui ad præſens faciunt inſtitutum , via & ordine progrediatur ; primum diſtinguam ſtatum hominis in *naturalem*, & *adventitium* , & utriuſque alias deinceps faciam partitiones ; quarum ea erit præcipua , quæ ſtatum complectitur *Pacis* , *ac Belli*: atque horum plures tradam notiones : tum varia genera perſonarum, quas homines poſſunt induere, percenſebo. Quibus omnibus perſolutis, ſtatim aggrediar adverſus Hobbium demonſtrare , hominem ſuapte natura non ad conjunctionem modo , quæ eſt inter marem & fœminam generandæ prolis cauſſa , ſed plane ad ſocietatem aptum natum eſſe ; qui tamen uſu & diſciplina jura moreſque ſocietatis addiſcit : quemadmodum natura ad litteras, ſcientias & omnium artium genera idoneus eſt; quas vero ſolo ſtudio & exercitatione adipiſcitur : eo adhuc intercedente diſcrimine, quod homo ipſe ejuſdem naturæ vi multo aptior ad ſocietatem naſcatur , quam ad litterarum & artium conſequutionem . Atque ut natura generationi aptus efficitur , congreſſu autem generat ; ita natura eſt ſocialis ; uſu vero & diſciplina ſocietatem colit ac celebrat . Quemadmodum enim corpus a natura ſemen obtinet procreandæ prolis , aut certe vim ſeminalem , qua ex integro ſemen ipſum ſtato tempore primum efficitur; quod tamen utrovis modo ſit, procedente ætate, nutritione perficitur, augetur, & reparatur ; ita animus profecto cujuslibet hominis, ſocialis vitæ ſemina , aut ſaltem eorundem producendorum facultatem ab ipſa optima parente natura ſortitur : quæ facultas in intelligentia & Ratione poſita eſt ; quarum vi & exercitatione , non ſolum ex animi propoſito inita , ſed etiam ſponte ſua , & neceſſario ſe ſe exerente , quamvis nulla extrinſecus accedat diſciplina , multa promuntur in hominum animis ſocietati [illegible] ſemina ; quæ vel

mirum in modum mutuis ipſorum hominum ſtudiis, collationibus, & diſciplinis adoleſcunt, florent, fructuſque uberrimos gignunt. Jam vel ex paucis his manifeſtiſſime arbitror apparere, quam falſo Hobbius (*a*) concluſerit: *Ad ſocietatem ergo homo aptus non natura, ſed diſciplina factus eſt*. Verum hæc omnia pro Schola longe fuſius & luculentius exponentur; & ſingula quæ in hanc rem habet Hobbius, ad examen adducam, ſimulque ejus patentiſſimas dictorum, atque ſententiarum repugnantias, audientium oculis ſubjiciam. Neque vero ſocietatis appetendæ cauſſa propria & princeps ſunt metus, indigentia, vitæque corporeæ utilitates; quæ occaſiones tantum ſunt. Germana autem ac intima vitæ ſocialis cauſſa eſt naturæ cognatio, non tam a corpore & ſanguine, quam a Ratione & animo fluens. Quanquam ergo nullis fortunæ bonis, neque mutuis officiis ad corporum commoda & ſuſtentationem homines indigerent, nihilo minus conſociationem appeterent animorum, & cogitationum, caſtæque benevolentiæ commercium: cujus tamen imam radicem, fateri oportet, eſſe naturæ finitudinem. Deus enim, utpote qui abſolute, & omni ex parte infinitus eſt, pro ſuæ naturæ conditione, nullam expetit ſocietatem, nec, ſi quam habeat, ex ea beatior efficitur, aut ullam, ne honeſtiſſimam quidem, capit delectationem. Quod autem aliter, ac a nobis definitur, in vita hominum ſociali eveniat, id non natura, ſed ejus depravatione fit; & depravatione, inquam, non tam origine, quam vitio voluntario, & mala deliberatione contracta; ſed natura ipſa, hoc eſt Ratione, fuſca licet, & infirma voce reclamante.

XXIV. Deinde ex natura hominis ſociabili corollarii loco convellam hanc alteram, quam ſtatuit Hobbius (*b*), propoſitionem: *negari non poteſt, quin ſtatus hominum naturalis, antequam in ſocietatem coiretur, Bellum fuerit; neque hoc ſimpliciter, ſed bellum omnium in omnes*: quæ propoſitio, & per ſe falſa eſt, & falſa inſuper nititur anticipatione; quod homines olim ſegreges vixerint, per agros & ſilvas ferarum more palantes; qui poſtea ex compoſito, & quorundam prudentio-

dentiorum induſtria, & metu, ceteriſque neceſſitatibus compulſi in civitates, oppida, vicoſque convenerint. Quæ opinio ortum duxit a fictionibus veterum poetarum, aliorumque ignorantium veram humani generis originem: a qua profecto continuato tempore homines univerſi ſocietatem coluerunt; ſi paucos forte aliquos, ſed poſterioris certe ævi, exceperis: ut de quibuſdam dicitur, ſi tamen vere dicitur, Americanis. Ecquis enim dubitet, quin a primis parentibus omnes poſteri per manus traditam ſocietatis acceperint diſciplinam: quam & poſt diluvium retinuerint; cum non ſolitarii, ſed in varios cœtus diviſi, in alias atque alias terrarum regiones ad ſedes ſibi quærendas, commigrarent? Et vero cum homines primi neceſſario eſſe debuerint mariti & uxores, parentes & filii, fratres & ſorores, cognati & agnati, affines atque gentiles, quis poterit comminiſci, eos a ſe invicem diſtractos huc atque illuc, nulla certa vitæ communitate habita, fuiſſe vagatos? Societates autem omnium primæ neceſſario ex conſanguineis, cognatis, agnatis, affinibus, gentilibuſque coaluerunt; iiſdemque gradibus magis minuſve proximis ac remotis poſteriores plerique omnes ſocietates propagatæ fuerunt; & non tam ex pactis quidem atque condictis, quam naturæ inſtinctu, propenſione, & appetitu; Rationis tamen ductu, atque regimine. Quid quod eædem hodie etiam vigent ſocietatum inſtituendarum viæ & rationes? Nam quis vicus, quod oppidum, quæ civitas eſt, quæ pro majori ſaltem parte non ex pluribus familiis earundem gentium conſtet? Huc cum pervenero plura Societatum genera diſtinguam. Verum enimvero, quanquam homines fingerentur primum ſegregem, ac ſolitariam vitam duxiſſe, & ranarum inſtar in variis terrarum partibus in lucem editi, ſinguli a ſe invicem procul diſſiti, palam adhuc faciam, ſtatum hominum naturalem non eſſe Bellum, ſed Pacem: qui cum primum ſibi obviam forte veniſſent, in mutuos ruiſſent amplexus, & miras dediſſent ſibi lætitiæ ac benevolentiæ ſignificationes; dum vel nihil de utilitatibus, & commodis a ſe invicem percipiendis cogitaſſent. Quam ad rem optime facit ratio pulcherrima & validiſſima, quam S. Thomas *(a)* deriva-

 vit

vit ex Ariſtotele lib. 9. Eth. c. 9. inquiens : *Si loquamur de felicitate præſentis vitæ, Felix indiget amicis, non quidem propter utilitatem, cum ſit ſibi ſufficiens ; nec propter delectationem, quia habet in ſeipſo delectationem perfectam in operatione virtutis ; ſed propter bonam operationem, ut ſcilicet eis benefaciat, & ut eos benefacere inſpiciens delectetur, & ut ab eis in benefaciendo juvetur. Indiget enim homo ad bene operandum auxilio amicorum, tam in operibus vitæ activæ, quam in operibus vitæ contemplativæ*. Plura alia, a quibus iſthic recenſendis abſtineo, circa multiplices hominum ſtatus, tam veros, quam qui fingi poſſunt, & circa genera perſonarum diſcutiam : tum pleraque Hobbii & Spinozæ deliria huc ſpectantia, eorumque apertas contradictiones retegam, & idoneis argumentis diſpellam.

XXV. Sic jactis principiis & fundamentis univerſi juris, tractationem generalem exordiar de Jure Nat. & Gent., dicturus alias de hujuſmodi jure, quod cuique hominum ſtatui, & perſonarum generi, actionibuſque conveniat. Quoniam vero ſicut Ulpianus (*a*) recte monet, *juri operam daturum prius noſſe oportet, unde juris nomen deſcendat*; ego omnium primum, iſtius vocis cum antiquiſſimam, cum poſteriorum temporum originem & etymon, multiplicemque ejus ſignificatum, in medium proferam. Quod ad etymon quidem attinet, illud mihi maxime arridet, quod ego primum didici a Cl. Vico obſervatum; *Jus* ortum eſſe a *Jove*, qui antiquiſſimis latinis dicebatur *Jous*, ex quo fiebant genitivi *Jovis*, & *Jouris*: per contractionem deinde emerſit *Jus*, *juris*: quæ ipſa appellationis ratio divinam nobis juris originem pandit. Quantum vero ad eius attinet ſignificatus, illud docebo primum accipi pro actionum humanarum adjuncto, ſeu modo, ideſt, pro eo, quod juſtum & æquum eſt; aut verius pro eo, quod non eſt injuſtum atque iniquum : qua uſurpatione ſcite ab Hugone Grotio jus generatim dividitur in *Rectorium*, & *Æquatorium*. Secundo jus accipi dicam pro qualitate morali, quæ perſonæ competit ad aliquid juſte agendum, poſſidendum, vel conſequendum : qua acceptione jus tribuitur in *Facultatem*, & *Aptitudinem*, ſeu *Dignitatem*, ut Grotius loquitur ; vel in *Facultatem*, & *Meritum*, ſicut elegantius Gronovio, in annotationibus ad illum, viſum eſt. Ad Facultatem revo-

cabo

cabo libertatem sui, potestatem... ,
uſumfructum, jus pignoris, aliaque id genus. Simul oſtendam omnem juris Facultatem regi Juſtitia *expletrice*, ſeu *contractoria*, vulgo *commutativa*: Meritum contra reſpici a juſtitia *attributrice*, vulgo *diſtributiva*. Utriuſque hujus juſtitiæ naturam & proportionem vere ab Ariſtotele traditam, & male a Grotio rejectam ſuſtinebo, mihi, præter omnes Peripateticos, alioſque, adſtipulantibus Gronovio, Pufendorfio, & Vico. Quo in loco opportune juſtitiam univerſe definiam, ac ſua in membra potiora diſpertiam. Tertio juris ſignificatu, illud uſurpari ampliſſime dicam pro lege qualibet, aut regula actuum humanorum; quæ tamen obligationem inducat ad id, quod rectum juſtumque eſt, peragendum: ubi generatim legis naturam & proprietates inveſtigabo; quidque legem inter & conſilium interſit, innuam.

XXVI. Jus hac poſtrema ſignificatione uſurpatum tribuam in *Naturale*, & *Voluntarium*, vulgo *Poſitivum*. *Naturali* tantiſper intermiſſo, de quo ceteroqui perpetua nobis erit oratio; de *Voluntario* pauca obiter delibabo: cujus data definitione, ſignatiſque conditionibus generalibus, quibus illud debeat circumſcribi; prima ejuſdem erit diviſio in *Divinum*, & *Humanum*: illud in *Vetus*, & *Novum* diſtinguam, & utrumque paucis explicabo. Humanum diſtribuam in *jus Gentium*, in *Civile*, & *Eccleſiaſticum*, ſeu *Pontificium*, & in alia quædam minoris amplitudinis membra. Rurſus tam *Civilis*, quam *Pontificii* ſectionem faciam in *Commune*, & *Privatum*. Quibus omnibus, qua majori fieri poterit brevitate, expoſitis, omiſſoque omnino jure mere Voluntario Divino, & Pontificio; quippe quæ ſint a noſtro inſtituto remotiſſima; ad Jus Naturale, & Gentium revertar, nonnulla adhuc de jure civili poſtea dicturus, quod iſtud ex priore illo proficiſcatur, ſeu verius ſit in quibuſdam illius modificationibus poſitum; ſicut alibi dicam. Jus itaque naturale, pro lege acceptum, quid ſit fuſe ac lucide explicabo, & diverſas a diverſis auctoribus tributas definitiones expendam. Ego equidem hanc præ ceteris amplectar: *Jus naturale eſt, quod naturalis Ratio inter omnes homines conſtituit, & quod omni humano generi commune eſt; quodque ſemper æquum & bonum eſt. Diſplicet quod G*... (a) *ait*:

 quod

quod vero naturalis Ratio inter omnes homines conſtituit, *id apud omnes peræque cuſtoditur*. Hoc enim heu immane quantum a veritate abeſt! Profecto ſi ex communi gentium cuſtodia jus naturale penderetur, eos, qui illud inficiantur, cauſſa ſuperiores evadere oporteret. Ecquod enim hujuſce juris præceptum eſt, quod ubique gentium, ſemper, & ab omnibus ſit peræque cuſtoditum? Ego itaque præjactis jam principiis, & fundamentis innixus operam dabo diligentiſſimam, ut omni perſpicuitate conſtet; jus eſſe toti humano generi conſtitutum, & non ipſorum quidem hominum ingeniis excogitatum, neque populorum ſcitis, aut conſuetudine invectum; ſed ab ipſa parente natura, ejuſque origine inſitum, atque ingenitum. Qua in diſputatione ex antiquis Traſymachum præſertim, & Calliclem apud Platonem exagitabo, Archelaum, & Ariſtippum apud Laertium, & Carneadem de grege Scepticorum; ex junioribus vero maxime Thomam Hobbium, Benedictum Spinozam, & Petrum Bælium alterum recentium Scepticorum Arceſilam, ſive Carneadem: cujus, hercules, libri, (ne de aliorum quicquam in præſentia dicam), ut ubique terrarum in concionibus comburerentur, ii, ad quos pertinet, multo ſolicitiores eſſe deberent, quam vel Athenienſes fuerint de libris Protagoræ Abderitæ comburendis, deque eo urbe & agro exterminando, propterea quod de Diis, neque ut eſſent, neque ut non eſſent, dicere habebat; vel Cato major de Carneade Athenas quam citius remittendo, ne Romanam corrumperet juventutem ſuo genere diſputandi. Quod ne ego aut ſuperſtitioſa religione, aut impotenti ſeveritate dicere videar, Bælium ipſum pro ſe judicem appello, qui de Carneade (*a*) ait: „ Caton craignoit ſur tout la ſubtilitè d'eſprit, & la force du raiſonnement, avec quoi notre „ Carneade ſoutenoit le pour & le contre: DES TELLES GENS „ SONT DANGEREUX: ils peuvent nuire aux meilleures cau„ ſes .... ils vous prouvent quelquefois, que le blanc eſt noir: „ ils reſſemblent au fils de Mercure, dont on a dit: (*b*)

„ *Naſcitur Autolycus furtum ingenioſus ad omne*
„ *Qui facere aſſuêrat, patriæ non degener artis*,
„ *Candida de nigris, & de candentibus atra*.

Hæc

Hæc ipſiſſima ſuis in libris cum Ba[illegible] , [illegible] faciat , quid reliquum eſt, niſi ut , eo ipſo judice, libri illi, ad maximum præcavendum periculum , flammis juſtiſſimis abſumantur ? Nullum ſane eſt hominum genus magis Reipublicæ noxium , quam Sceptici , de omnibus ambigentes. Nam res ferme nullæ ſunt , quæ non aliquibus tenebris , aut ſuapte natura involvantur , aut ſaltem Sophiſtarum argutiis non poſſint involvi : & mens ipſa humana ſua etiam denſa caligine obſcuratur. Contra vero pauci admodum ſunt, qui diuturna velint, aut valeant meditatione cum rebus innatas & adventitias, tum ſuas ipſorum tenebras diſſipare. Præterea ad affirmandum, probandumque, quod affirmatur, argumentis aptis, non multi in infinito hominum genere idonei extant : ad dubitandum vero, recte , an ſecus , omnes ſunt habiliſſimi, tum vel maxime proni, ſi de iis præſertim agatur, quæ vera cum ſint, immenſam creant moleſtiam, dum animus ad ea non conformatur. Nihil porro facilius, quam ut cuique fere conſentaneæ, probabileſque videantur rationes dubitandi; auctoreſque dubitationum pro juſtis æquiſque diſputatoribus habeantur; quaſi res pro eo ac ſunt, in medio ponant. Plerumque diſplicent, qui fidenter pronunciant, atque affirmant; eiſque adverſandi ſæpe in aliis ſtudium excitatur : at qui utrinque dubitantium perſonas ſuſtinent, mirifice pro ſimulata ſinceritate , in animos illabuntur. Hinc autem , quæ neceſſe ſit, malorum conſequi monſtra , alii cogitent.

XXVII. Ad me quod attinet, cum jus naturale ab omni captione ſartum tectumque reddidero, illudque a natura in tabulis cordium noſtrum inſculptum explicuero, ab ejuſdem communione bruta animantia procul abeſſe ſtatuam : *Soli enim*, ut Cicero ſapienter ait (*a*), *Ratione utentes jure ac lege vivunt*. Quamvis autem beſtiæ cognitione ſenſuum præſtent, & inde conſequente appetitione ferantur in res humano corpori, eiſdemque communes; ex jure tamen, & lege non agunt , quod Ratione careant atque conſilio. Quamobrem minus convenienter a Juſtiniano (*b*) dicitur : *jus naturale eſt , quod natura omnia animalia docuit*. Quod tamen , fateor , abuſione quadam rectam poteſt habere interpretationem. Juris quoque pro lege accepti

Digitized by Google

uſu & exercitio privari infantes nondum Rationis compotes; quos nihilominus juris poteſtate, facultate, merito, & beneficio gaudere, planum faciam.

XXVIII. Supremam originem juris naturalis a Deo equidem conditore arceſſam, at minime gentium ab ejuſdem actione aliqua, ſeu voluntate, quocunque modo diſtincta ab illa, qua hominem condidit. Deo igitur, pro ſummo quidem arbitrio ſuo hominem condenti, liberum haudquaquam fuit, jus eidem naturali inſerere, neque ab hoc inſerendo potuit temperare. Nam cum Ratione, quæ eſt propria hominis natura, jus naturale omnino indiſſolubili nexu cohæret; atque adeo ſunt una eademque res: quod ut ſit, pluribus dicam; & una Pufendorfii pleraſque ſiniſtras opiniones convellam: qui lib. II. *De Jure Nat. & Gent.* cap. III., in quo agit de *Lege naturali*, multis veris optimiſque non pauca falſa & prava admiſcet: ut cum ſ. 4. cit. cap. ait: *Objectum juris naturalis non eſt neceſſarium ante legem*: ex quo efficitur ne legem quidem ipſam neceſſariam eſſe, ſed plene arbitrariam. Secundo, cum eodem ſ. dicit: *Si enim is* (homo) *ad contraria officia fuiſſet adſtrictus; non ſociale animal, ſed alia feri, & horridi ſpecies animantis fuiſſet producta*. Quibus in verbis hypotheſis loco habetur, potuiſſe hominem ad officia naturæ rationali contraria adſtringi, & non ſociabilem creari, naturamque aut ſpeciem feri & horridi animantis obtinere. Quæ omnia & aperte falſa & periculi plena ſunt. Rerum namque naturæ aut eſſentiæ penitus neceſſariæ immutabileſque extant, quæ ab ipſo Deo pro arbitratu ſuo nequeunt commutari; aliter ſuam ipſius naturam poſſet & eſſentiam commutare: quæ eſt idea archetypa & neceſſaria omnium naturarum, quæ fieri & exiſtere poſſunt; quas tamen Deus liberrime efficit atque conſervat. Deinde etiam ab Ulrico Hubero, & Nicolao Hertio, annotatore ſuo, Pufendorfius dignus reprehenſione cenſetur, quod eodem cit. cap. §. 13. affirmet, principia juris naturalis, ſive legem naturalem univerſe ex informatione populari, aſſuetudine, uſuque publico hauriri: ex quo conſequitur, principia illa poſſe a Ratione utentibus ignorari, neque iiſdem quemquam obligari, ſi in ſolitudine degeret, & niſi illa eadem principia ex aliorum diſciplina longiuſculo ſtudio addiſceret. Quæ opinio plurium, gravium-

ſibi ipſi minime hac in parte conſtantem eſſe: neque ſuam ſatis lucide mentem explicat. Videtur eo tantum ſpectare voluiſſe, ut principia innata Carteſianorum ſenſu, hoc eſt menti impreſſa, cogitationum inſtar, rejiceret: in quo & nos illi ultro manus damus. Sed dum extremum alterum minus verum declinat, in alterum longe periculoſum incurrit. Atque ut vere dicam, pro eo ac res habet, diu egomet anceps fui, utrum hanc Puſendorfii cauſſam ſuſciperem defendendam. Verum pluribus ejus locis ſententiiſque inter ſe comparatis, tandem animadverti, ſucceſſu proſpero id fieri minime potuiſſe. Denique, ut cetera miſſa faciam, ſi quæ ſunt alia eo in capite redarguenda; turpiter errat Puſendorſius, cum §. §. 14. & 15. præcipuum juris aut legis naturalis collocat fundamentum in amore propriæ utilitatis, quæ rebus corporeis continetur; etſi poſtea fateatur, non quemlibet oportere *ſeipſum ſolum reliquis omnibus ubique præferre, aut omnia propria utilitate metiri*. Aſt ecquid mirum, Puſendorſium talia protuliſſe? qui, quanquam craſſiores, apertiuſque ad impietatem, & neſas vergentes Hobbii errores aſpernatus ſit, aut emollire ſtuduerit; illius tamen doctrinam atque principia, quoad poterat, affectabat, quo Electorem Palatinum, Carolum Ludovicum demereret, teſte, de auditu quidem, Cl. Leibnitio, qui (*a*) hæc ſcribit: *Relatum mihi eſt, cum primum ederet Puſendorſius elementa ſua jurisprudentiæ Hagæ Comitum A. 1660. hoc ipſo captaſſe ſibi favorem Electoris Palatini, Caroli Ludovici, quod Hobbeſium in præfatione commendaverit, ex eoque aſſumenda quædam putaverit ſibi, cum nimium conſtaret ipſi, ſummum Hobbeſii admiratorem eſſe Electorem, cui & opus iſthoc dedicavit, hacque ratione meruiſſe, ut Profeſſio Heidelbergenſis ipſi demandaretur*. Hoc monuiſſe fruſtra forte non erit.

XXIX. Ad refellendos autem jam recenſitos Puſendorfii errores, ex æterno ac neceſſario rerum & Rationis ordine conficiam, *objectum*, ſive res juri naturali ſubjectas eſſe neceſſarias, ac indiſſolubili vinculo cum lege ipſa naturali conjunctas. Peccatum enim (inquit S. Thomas) (*b*) *ex hoc ipſo quod eſt inordinatum, juri naturali repugnat*. Quod jus primo quidem continetur in lege æterna, quæ eſt æterna Dei Opt. Ratio, æternis rerum

 ide-

ideis, earundemque æterno ordini conſentanea. At vero jus idem nobis dictum, ſi rigore metaphyſico loqui velimus, proprie nihil eſt aliud, quam lumen ipſum mentis noſtræ paratum & expeditum ad pervidendum, & judicandum, quid in unaquaque re expetendum, fugiendumque ſit. Quamvis enim nihil actu cogitemus, jus tamen, ſive legem naturalem in cordibus ſcriptam retinemus. Sic loco proxime citato ſentit S. Thomas inquiens: *jus naturale..... continetur primo quidem in lege æterna; ſecundario vero in naturali judicatorio Rationis humanæ.* Illa autem Rationis dictata, ſive propoſitiones aut judicia, quæ noſtra in mente, cum quidpiam agendum, vel ab alio abſtinendum eſt, excitantur, quæque oſtendunt, quid rectum pravumque ſit, non tam ſunt leges naturales *abſolute* conſideratæ, quam leges ipſæ veluti lectæ, intimatæ, & applicatæ voluntati. At legis lectio, intimatio & applicatio proprie non eſt lex ipſa; quæ naturalis cum ſit, æternum manet: lectio contra, intimatio, & applicatio, quæ actu fiunt, tranſeunt. Hocce ſenſu intelligenda ſunt verba ſequentia, quæ habet S. Th. (*a*): *propoſitiones univerſales Rationis practicæ, ordinatæ ad actiones, habent rationem legis: quæ quidem propoſitiones aliquando actualiter conſiderantur; aliquando vero habitualiter a Ratione tenentur.* Quo etiam id facit, quod idem S. Doctor (*b*) ait: *Syndereſis dicitur lex intellectus noſtri, inquantum eſt habitus continens præcepta legis naturalis, quæ ſunt prima principia operum humanorum.*

XXX. Hinc facillimum erit, inſtabile ac ruinoſum juris naturalis fundamentum, convellere, a Puſendorfio in amore propriæ utilitatis locatum. Si namque jus aut lex naturalis in mente habeat domicilium; ecquis dubitet, quin ibidem ejus quoque fundamentum reperiatur? Fateor equidem, cum primum homo formatus, atque in lucem editus eſt, & donec Rationis compos evadat; amore tantum ſive appetitu propriæ utilitatis & delectationis, ſed ſola duce ſenſuum perceptione, ad ea ferri, quæ propterea docte a Stoicis *prima naturæ* nominabantur. Sed obſervatum jam eſt, ſolos Ratione utentes jure a lege vivere. In his ergo ſolummodo juris naturalis fundamentum quærendum eſt

quod

quod ego indubitate cum ingenioſiſſimo atque eruditiſſimo Viro Johanne Baptiſta Vico, poſitum eſſe contendo in *Cognitione Veri*, non qualiſcunque quidem, ſed ejus tantum, quod hominum officiis perſolvitur. In cujus rei qualemcunque facit confirmationem, quod, quemadmodum vir laudatus obſervat, locutio vulgaris latina erat, ſed origine ſatis ſapienti, ut *vere vivere* pro rectæ naturæ convenienter vivere diceretur; ſicut extat apud Terentium, qui, pro Comici ſtilo, communi vulgi ſenſu loquebatur. Recta autem natura, hominis propria, eſt Ratio recta, cujus proprium eſt *Verum noſſe*. Homo igitur rectæ ſuæ naturæ convenienter vivit, quando ex *vero*, aut *vere* vivit: id cum facit, *honeſte* quoque, *bene*, ac *juſte* vivit. Quod namque eſt *verum*, dum mente aut Ratione cognoſcitur, idipſum eſt *honeſtum*, *bonum*, ac *juſtum*, dum animo ſeu voluntate eligitur, atque perficitur. *Verum* enim, ſeu *Veritas* nihil eſt, quam mentis vel Rationis cognitio cum ordine rerum conſentiens: in cujus proinde ordinis amore, delectu, uſuque conſiſtit omnis animi noſtri *honeſtas*, *bonitas*, atque *juſtitia*. Ergo *Verum*, quod actionem officiumque reſpicit, primum eſt fundamentum juris naturalis. Quam ſententiam, ſi e re noſtra foret, multis poſſemus Sacrorum Codicum teſtimoniis confirmare; quibus *ambulare* in *veritate*; & *via veritatis* pro bonis, honeſtis, juſtiſque actionibus uſurpantur; *mendaces* contra dicuntur, qui male & inique agunt. Verum nobis vel intra cancellos noſtros conſiſtentibus non deſunt & multi & graves, cum veteres, tum recentes philoſophi, qui hoc idem diſerte doceant: ex antiquis quidem præ ceteris Plato, & Ariſtoteles; ex nuperrimis vero præſertim Wollaſtonus, qui libro inſcripto *Ebauche de la Religion Naturelle* pluribus oſtendit, actiones bonas, & honeſtas, ac juſtas eſſe, quæ veris mentis propoſitionibus conſentiunt; pravas contra & turpes, atque injuſtas, quæ eiſdem repugnant. Quanquam quid opus eſt in re tam aperta teſtimoniis privatorum? cum hic ſit communis hominum ſenſus; ſed non ab omnibus præ oculis ſatis habitus, inculcatuſque in actionum moralium analyſi facienda. At hic opportune roget quis, cum circa ſingularia officia, propter adjunctorum ſive circumſtantiarum involucrum, perſæpe veritas nuda & aperta in conſpectum minime

aliter fieri ſatis poteſt, quam oratione, qua Simmias cum Socrate in Phædone Platonis, ante medium aliquanto, utebatur, quæque ex Johannis Serrani interpretatione ſic habet: *Hoc vero unum illis in rebus ſtudioſe eſt elaborandum, ut aut diſcamus, quomodo hæc ſe habeant, aut inveniamus: aut, ſi hoc fieri non poteſt, humanarum ſaltem rationum ea, quæ melior firmiorque, ideſt, quæ minus refutari poſſit, delecta: ei quaſi inſideamus: ut illa tanquam rate vecti, vitæ iſtius pericula, difficultateſque enavigemus, niſi quis poſſit certiore tutioreque modo, firmiore videlicet vehiculo, ideſt, divino quodam verbo, traduci, atque tranſmitti.* Quæ poſtrema verba, ut obiter dicam, luce meridiana clarius produnt, Simmiam, ſive Platonem, non modo ſubolfeciſſe, ſed vividius etiam præſenſiſſe in ea tanta humani generis cæcitate divino quodam verbo opus fuiſſe. Quod cum ad nos ſumma Dei Opt. benignitate factum ſit, cavendum profecto maxime eſt, ne illud moribus noſtris, atque cupiditatibus laxiore interpretatione accomodare velimus, diligenterque providendum, ne, de tempore noſtro cum primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus comparato, ea juſtiſſime dici queant, quæ T. Livius de ſeculo ſuo cum initiis Rom. Reipublicæ collato ajebat. Cum enim, quo tempore P. Valerius Coſ. ad recipiendum Capitolium arma plebi dederat, omnes in verba juraviſſent, conventuros ſe juſſu Conſulis, nec injuſſu abituros, L. Quintius Cincinnatus Coſ. mortuo Valerio ſuffectus, edixit, omnes, qui in verba juraverant, armati ad lacum Regillum adeſſent. ,, *Cavillari tum tribuni* (inquit Livius (*a*)) *& populum exolvere religione velle: privatum eo tempore Quintium fuiſſe, cum ſacramento adacti ſint*. Sed nondum hæc, quæ nunc tenet ſeculum, negligentia Deorum venerat; nec, interpretando, ſibi quiſque jusjurandum, & leges aptas faciebat, ſed ſuos potius mores ad ea accomodabat ,,. Non itaque Dei verbum, juſtæque leges quælibet, ſive legitima poteſtate ſancitæ, ſive optima parente natura inſitæ libera interpretatione eludendæ ſunt, noſtræque cupiditati aptandæ; ſed noſtros potius mores ad eas accomodare debemus; probabiliorique ſententiæ, quæ legibus ipſis conſentiat, adhære-

re :

re: quæque ſola nobis pro vera habenda eſt, dum veritas, qualis reipſa eſt, conſpicua & explorata non extat: quod ſi aliter fiat, non Rationem ducem ſequimur, ſed appetitu Rationi repugnante abducimur. Verum hæc non eſt hujus loci fuſius, aut magis particulariter perſequi. Nam mihi in præſentia ſolum ſermo eſt de *Vero* generatim, & univerſe, quod ſit primum juris naturalis fundamentum: id quod certe omnibus, cæcutire nolentibus, eſt manifeſtiſſimum. De hoc ergo Vero dicere pergam, & quomodo ex eo primæ naturæ leges oriantur, tradere.

XXXI. Quod ut appoſite fiat, animadvertere operæ pretium eſt, hominem quemlibet & ſibi & aliis vivere debere. Sibi quidem primum, tum quia in ſe & per ſe prius exiſtit, atque ſubſiſtit; tum quia aliis vivere nequit, niſi ſibi ante vivat. Deinde vero aliis, quia eiſdem ſociabilem a natura factum eſſe prædiximus, propter ipſius naturæ cognationem, non qualemcunque, aut ſolius corporis & ſanguinis, ſed Rationis & animi. Quoniam autem dictum ſuperius eſt, tum hominem rectæ ſuæ naturæ convenienter vivere, cum *vere vivit*, hinc conſequens fit, eum & ſibi & aliis *vere vivere* oportere. Jam ex vera vita cujuſque propria, ſeu ex *vero*, quo cujuslibet vita in ſe, & per ſe regenda eſt, hoc primum ac ſupremum elicitur juris naturalis præceptum: *Honeſte vivito*; quod idem ſonat, ac ex *vero*, ſeu *vere vivito*. *Honeſtas* enim, ut optime Vicus ait (*a*), *ita veritatis pediſequa eſt, uti eſt pediſequa mentis voluntas: & uti æterna quæque veritas eſt cum æterno rerum ordine conformatio mentis; ita honeſtas naturalis eſt cum æterno rerum* (& Rationis) *ordine conformatio voluntatis*. Et quemadmodum congruentia cum idea ordinis & proportionis in corpore vocatur *corporis honeſtas*, corporis *pulchritudo*; ita in animo dicitur *animi honeſtas*, Platoni *Pulchritudo virtutis*, & Stoicis appellatur *humanæ naturæ Conveniens*. Illo porro *honeſte vivendi* præcepto tenetur etiam homo in ſolitudine degens, quia ubique ſibi *vere vivere* debet; eodemque virtutum omnium, quæ hominem in ſe perficiunt, officia concluduntur: atque ex ejus etiam ſin-

cera obſervatione vitæ ſocialis præcepta ſervatu facillima fiunt ; de quibus mox dicam . Interim , ex modo dictis , notare præſtat , primam naturæ legem , quam Puſendorfius lib. & cap. ſuperius citatis §. 15. ſtatuit, ſponte ſua corruere; quo loco ſic loquitur : „ Fundamentalis lex naturæ iſthæc „ erit : *cuilibet homini quantum in ſe eſt , colendam & conſer-* „ *vandam eſſe pacificam adverſus alios ſocialitatem , indoli &* „ *ſcopo generis humani in univerſum congruentem* . Si de ſolo quidem jure naturæ , quo humana ſocietas gubernaretur , Puſendorfius agere inſtituiſſet ; poſſet aliqua forſitan ratione lex illa , tanquam , ut cum ipſo loquar , *fundamentalis* rogari . Sed quoniam toto Opere ſuo de univerſo jure naturæ , illoque citato cap. ſpeciatim *de lege naturali in genere* ſibi aſſumpſerat diſſerendum , nemo prudens illi , *uti rogas* , poterit reſpondere . Jure enim ac lege hujuſce generis non modo ſocialis hominum vita , ſed maxime ac primum cujuſque propria , etſi citra commercium agenda , temperatur . Lex ergo naturæ prima , & , Puſendorfii phraſi , *fundamentalis* , ea eſſe debet , quæ privatam cujuſque vitam informet . Quanquam illa ipſa Puſendorfiana lex ne pro hominum quidem ſocietate ſatis prudenter lata , ſeu potius convenientibus verbis concepta eſſe videtur . Leges namque univerſe rogatæ , ut ad particularia nequeant deſcendere , tamen neque nimis generalibus formulis concipi debent , ſed ad cujuſque captum facillimum , & , quoad ejus fieri poteſt , ſimplicius explicari ; peculiareſque actiones aliquæ jubendæ ac vetandæ ſunt , quibus legum & optimi legiſlatoris finis obtineatur . Quæ omnia recitatæ Puſendorfii legi deeſſe , cuique paululum attendenti patebit . Nam , ut hoc tantum nunc dicam , ſocietatis humanæ finis proximus eſt pax ipſa , atque tranquillitas , & concordia univerſorum : ad cujus finis adeptionem , naturali , etiam primaria , lege , particulare aliquod juſſum vetitumque eſſe oportet . Quanto ergo ſatius fuiſſet Puſendorfio cum communi ſapientum , ac fere etiam vulgi conſenſu has duas principes naturæ leges pro humana colenda & conſervanda ſocietate ſtabilire? *Neminem lædito : Suum cuique tribuito* . Hæ certe longe ſimpliciores ſunt , promptiuſque in mentem cuique Ratione utenti veniunt , & aliquid diſtin-

XXXII. Sed vero ego quanquam duas illas jam poſitas leges naturæ præcipuas exiſtimem, quibus hominum ſocietas celebretur, atque contineatur; aliam tamen adhuc ſuperiorem arbitror ſtatuendam, radicemque ſimul bicipitem retegendam, a qua omnes omnino pullulent naturales leges ſocietatis. Cujus rei gratia neceſſe eſt animo reputare, quod jam præfati ſumus, hominem, cum a natura ſit ad ſocietatem factus, nedum ſibi, ſed etiam aliis *vere*, & *ex vero vivere* oportere; atque propterea communicare cum aliis tum Rationem & Verum, tum bona utilia ex *Æquo Bono*, ſive adeo ex *Vero* ipſo. Hinc jam cum doctiſſimo Vico ex ipſa hominis ſociali natura duplicem diſtinguo naturalem rerum ſocietatem, alteram *Veri*, alteram *Æqui boni*. Prior Societas hac lege nititur, *Bona Fide Agito*, quæ vere primaria eſt juris naturalis, ſocietatem moderantis: eademque tantum ſonat, ac *ex vero convivito: perfidioſum & nefarium eſt*, inquit Cicero pro Roſcio Comœdo, *fidem frangere, quæ continet vitam*. Cl. Vicus ait, *ex vero vivito*: ſed pace tanti viri, cum de ſociali vita agatur, ſignificantius mihi videtur dicendum, *convivito*; ut hæc ſocietatis lex ab altera poſſit diſcerni, qua etiam ſibi *vere vivere* cuique præcipitur. Ejus legis duo facio ſumma capita ex doctrina pluries laudati Viri, a quo etiam, ut ſemel tantum dicam, quæ ſequuntur hoc in paragrapho, mutuabor. Alterum porro dictæ legis caput jubet *Veritatem dicti*, quæ optime *Veriloquium* appellatur: caput alterum præcipit *Veritatem facti*, quæ proprie dicenda eſſet *Sedulitas*, quæ eſt *geſtio rei ſine dolo*, quamque etiam lexicographi interpretantur *fidele officium*. Caput prius Romani Juriſconſulti eleganter hac formula concepere: EX ANIMI TUI SENTENTIA? Caput vero poſterius hac altera: DOLUS MALUS ABESTO. Ex priore præfatæ legis capite unicuique ſciſcitanti jus eſt, ut illi verum dicatur; ea quidem, quæ ad ipſum pertineant, palam aperteque affirmando, vel negando, quatenus ſunt, vel non ſunt. Percontanti vero de iis, quæ ſua ſcire non intereſt, vel etiam ipſum neſcire oportet, ſincero fortique animo reſpondendum, jus illi non eſſe, aut non convenire de rebus hujuſmodi quærere, neque adeo de illis licitum eſſe, vel animum colloquendi. Quæ tamen reſponſa

tioribus ſunt concipienda, ne animus ſimpliciter interrogantis inurbane offendatur: ita vero ut omnis mendacii ſpecies procul abſit. Eo enim legis capite omnia mendacia prohibentur, omnes orationum decipulæ, omnes cavillationes, omneſque verborum a mente alienationes. Denique *Veritate Dicti* continetur *Promiſſi fides*. Alterum autem legis, qua de agimus, caput, quod eſt *Veritas facti*, damnat omnem fraudem, inſidiam, calumniam, dolum, qui tum admittitur, quum aliud agitur, aliud ſimulatur; uti apud Ciceronem (*a*) definit Aquilius auctor formularum *de dolo malo*. Reſtat jam, ut de ſocietate *Æqui boni* pauca dicam, quæ ex ſocietate *Veri* enaſcitur. Quod enim eſt cognitionis *Verum*, idem eſt actionis *Bonum*: quodque eſt *Æquum*, ſive *Aequale* in rebus utilibus, dum cognitionis commenſum aſſequitur, idipſum eſt *Juſtum*, hoc eſt, *æquum bonum*, dum actione perficitur. Quia autem alius eſt commenſus *Arithmeticus*, alius *Geometricus*, ideo etiam duplex eſt *Aequum bonum* ſimilium rationum. Hæc ſocietas æqui boni duabus maxime, iiſque principalibus legibus alitur, & ſuſtinetur: quarum prior utramque, quam ex ſenſu communi ſupra poſuimus, continet, de *Alieni abſtinentia*, ſive *reſtitutione*, & de *nemine lædendo*. Hinc vis quælibet, omnis injuria, omnis turpis quæſtus, & omne lucrum cum aliena jactura damnatur. Ex hac lege oritur *obligatio Dominii*, ita ab Hugone Grotio eleganti, & efficaci ſignificatione appellata; qua obligatione quicunque alienum tenet, debet id domino reſtituere. Altera ſocietatis *Aequi boni* lex eſt perfectioris virtutis, quæ dictat *homini hominis dilectionem*, ſive ut homo homini bene velit, ac faciat, cum poteſt: ex qua lege duæ aliæ prodeunt ſpeciales: altera de *ſumma neceſſitate*; altera de *utilitate innocua*. Hæc ex celeberrimo Vico ſumpta ſunt, levi aliqua mutatione facta, quæ in cauſſa fuit, cur non illa de more ſignaverim. Quæ cum pro ſchola dicendo ſatis enodavero, ad juris naturalis partitiones gradum faciam. Quanquam enim aliqua jam ejus diviſio facta videri poſſit, tamen non illius dividendi fine facta eſt; ſed gratia tantum, & occaſione data ejuſdem juris inveſtigandæ originis proximæ, proximique fundamenti ponendi; quod in *cognitio-*

gnitione Veri locamus: unde etiam ipſiuſmet naturalis juris, ex parte ſaltem, natura detegitur; cujus ergo deinceps partes, aut ſubjecta genera ſecernam.

XXXIII. Omnium vero prima juris naturalis partitio erit *in prima principia per ſe nota; & in concluſiones ex principiis collectas:* quarum aliæ ſunt principiis viciniores, aliæ ab iiſdem remotiores. Secunda in jus *Conceſſivum*, ut cum Guilielmo Grotio loquar, & *Præceptivum*. Ubi tamen obſervabo, proprie jus *Conceſſivum* non eſſe jus pro lege acceptum, ſed jus pro *Facultate*, & *Poteſtate* uſurpatum. Quæ enim vera lex eſt, ſui obſervandæ onus imponit, cui illa præſcribitur. Nulla autem eſt obligatio id faciendi, quod juris *Conceſſivi* eſſe perhibetur; quo tantum libera tribuitur ſive relinquitur facultas aliquid prout libuerit agendi, vel omittendi: cujuſmodi, cauſſa exempli, eſt jus univerſe nubendi, teſtandi, ſe, & ſua defendendi, aliaque id genus. Quo etiam loco diſcrimen, quod modo laudatus Grotius ponit inter *permiſſionem*, & *conceſſionem*, expendam: ex quo diſcrimine contendit ille, nonnullis permotus rationibus, ſi accurate loquendum ſit, nullum eſſe jus, quod alii communiter vocant *Permiſſivum*. Sed nominis quæſtio eſſe videtur, dum re omnes cum Grotio conſentiunt. Quanquam vel ad ſermonis proprietatem quod attinet, ſi *permittendi* quidem verbum eo ſenſu in re, qua de agimus, adhiberetur, quo vulgo Theologi noſtri ajunt, peccatum a Deo permitti; facile in Grotii ſententiam concederem: neque enim eodem animo, eademque ratione Deus naturæ auctor nuptias e. c., & peccatum permittit. Sed profecto verbum hoc latinis etiam Scriptoribus pro *concedere*, aut *facultatem facere* uſurpatur: qua ſignificatione illo quoque uſus eſt Gajus juriſconſultus, qui (*a*) ait: *adverſus periculum naturalis Ratio permittit ſe defendere*. Tertia partitio eſt, qua *Jus præceptivum* tribuitur in *Jubens*, & *Vetans*; hoc eſt, ut alii dicunt, alia ſunt juris naturalis præcepta *Affirmantia*, alia *Negantia*. Quarta ſumitur ab *Objecto*, ſive *Subjecto*, cui deferuntur res, & actiones, quæ imperantur & prohibentur: qua ratione jus naturale dividi poteſt in *Divinum*, & *Humanum*. Prius eſt, quod cultum, & officia erga Deum au-

ctorem

ctorem naturæ præſcribit; cujus vultus lumen ſignatum effuſumque eſt ſuper omnes homines, quo illum cognoſcere poſſint, tanquam naturæ auctorem; & præcepta inſuper in omnium cordibus indita atque inſculpta, quibus eundem colere, venerari, eique parere obligamur. Jus hoc ad Tractatum de Religione naturali remittendum eſt. Jus naturale poſterius, quod *humanum* dico, in rebus hominum, eorumque officiis verſatur: quod quinto rurſus diſtribuitur in jus naturale *Commune* toti humano generi, & in *Privatum*, cujus aliæ quoque plures eſſe poſſunt ſectiones, pro diverſis hominum ſtatibus, & generibus actionum: ut jus naturale aliud *Monaſticum* dici poteſt, quo quiſque ad rectam morum vitæque ſuæ inſtitutionem tenetur; aliud *Conjugum*, *parentum*, *patrisfamilias*, *civis*, quo officia inter conjuges, erga filios, erga familiam, Cives, & Civitatem a natura præſcribuntur &c. Verum hæc alias erunt ſingillatim ſuis quæque locis pertractanda. Sexta demum, ac ultima, quam hoc loco facio, juris naturalis partitio eſt in Jus naturale *Primarium*, & *Secundarium*: quæ longe aliter accipio, quam in Scholis vulgo accipi conſueverunt. *Primarium* dico, quod ſpectat ea, quæ a Stoicis dicta ſunt *Prima naturæ*, quæque vitæ corporeæ interſunt: *Secundario* autem continentur, quæ ab eiſdem Stoicis appellabantur *naturæ conſequentia*, *convenientia*, *aut conſentanea*, quæque ad vitam ſpectant rationalem.

XXXIV. Expletis juris naturalis ſectionibus, & ſingularum membris, ſed pro dividentis munere tantum, explicatis; de ejuſdem juris conſtantia & immutabilitate diſputare aggrediar: atque jus ipſum naturale univerſum tam pro legibus, quam pro facultate acceptum ſuapte natura omnino immutabile eſſe oſtendam; contra vero materiam, ſive res & actiones eidem juri ſubjectas quam ſæpe mutationem ſubire. Hæc autem diſputatio propter rerum cognationem poſtulabit, ut de Æquitate ediſſeram, non ea, quæ ſæpe pro omni jure tam naturali, quam voluntario ſumitur; ut cum juriſprudentia definitur *Ars Boni, & Aequi*; ſed de illa quæ Græcis dicitur Ἐπιείκεια, quæque ut inquit S. Th. (*a*) *eſt pars juſtitiæ communiter dictæ*; *tanquam juſtitia quædam exiſtens*; cujus proprium officium dirigere

juſti-

juſtitiam legalem, non quidem legum verba interpretando, ſed ea moderando, applicandoque rebus particularibus, quibus oportet, ratione habita ad mentem & animum legislatoris. Neque Æquitas deſerit omnino juſtum, ſed juſtum illud deſerit, quod verba legis ſonant: neque etiam opponitur illa ſeveritati, quæ ſequitur legis verba & veritatem, in quibus oportet: ſequi autem legis verba, in quibus non oportet, id juſtum haud eſt, ſed vitioſum, & peccatum; ut ſi redderetur depoſitum furioſo, aut non puniretur publicæ privatæque tranquillitatis turbator, propterea quod leges generatim poſitæ extant de reddendo depoſito, & nemine lædendo, aut occidendo: quæ tamen leges in adductis caſibus neque habent, neque vero poſſunt locum habere. Prima vero juris naturalis principia, illæque leges, quæ virtutem imperant, & vitia prohibent nullam recipere Æquitatem, qua de agimus, exploratum faciam; ut *Deum colito: honeſte, pie, ſobrie vivito: non mœchaberis, non furaberis &c.* Æquitatis hujuſce occaſione, ſimul etiam de *Indulgentia*, quæ vulgo *Diſpenſatio* dicitur, latine autem vocari poteſt *lege ſolutio*, diſſerendum erit, nec non de *Facilitate* juris ſui remittendi, pacis, vel humanitatis cauſſa. Nullam vero indulgentiam, diſpenſationem, aut ſolutionem cadere poſſe in prima juris naturalis principia, aut quæ inde neceſſaria conſequutione fluunt, ut ſunt decalogi præcepta moralia, perſpicuis, & neceſſariis rationibus confirmabo. Non enim, e. c. Deus lege furandi ſolvit Iſraelitas, cum eis præcepit res Ægyptiorum auferre, ſed utpote ſupremus rerum omnium Dominus ab his in illos earum rerum dominium tranſtulit: neque rurſus cum Abrahamo juſſit filium ſuum Iſaacum immolare, illum lege non occidendi ſolvit; ſed lex ipſa in ſe continet juſtæ auctoritatis exceptionem. His ſubjungam effectuum juris naturalis generalem explicationem.

XXXV. Quando omnia abſolvero, quæ de Jure Naturali generaliter mihi exponenda videbuntur; juris Gentium generales quoque notiones explanabo; quidque inter iſtud & illud diſcriminis interſit, quantum fieri poteſt, aperiam. Rejiciam definitionem, quam tradit Ulpianus (*a*) inquiens: *jus gentium eſt, quo*

quo gentes humanæ utuntur , quod a naturali recedere facile intelligere licet: quia illud omnibus animalibus , hoc ſolis hominibus inter ſe commune ſit. Quæ ſane definitio non una tantum de cauſſa a veritate abludit: unde perperam etiam Pomponius ibidem l. 2. ad jus gentium revocat religionem erga Deum ; & ut parentibus, ac patriæ pareamus ; idemque peccatum peccat Florentinus , qui l. 3. ejuſdem juris eſſe ait , ut *vim , atque injuriam propulſemus*. Hæc enim omnia ſunt omnino juris naturalis, cujus incapaces ſunt belluæ. Contra vero manumiſſiones, & ſervitutes, ut eodem loco l. 4. docet Ulpianus, jure gentium inductæ fuere: quod jus non ad jus naturale , ſed ad jus *voluntarium*, aut *poſitivum* pertinere conſtituam cum D.Th. qui ait (*a*) *Eſt enim primo de ratione legis humanæ, quod ſit derivata a lege naturæ , ut ex dictis patet: & ſecundum hoc dividitur jus poſitivum in jus gentium, & jus civile*: uti e. c. Legatorum admiſſiones , & mutua vicinarum gentium commercia nulla naturali lege præcipiuntur, ſed gentium tamen fere omnium , moratiorum ſaltem , tacito quodam conſenſu obtinuit , ut injuria fiat nationibus , ac Principibus Legatos mittentibus , niſi illi admittantur ; quemadmodum & cum exteri ſine juſtis de cauſſis ab uſitatis commerciis repelluntur. Plura hoc loco enumerabo quæ ſunt juris gentium propria : eaque declarabo ex jure naturali profluere, non tanquam concluſiones omnino neceſſarias ; quæ enim ſunt ejuſmodi , juris ipſius naturalis portionem conſtituunt, ad illudque pertinent; neque tamen ſicut modificationes, & applicationes penitus arbitrarias ; ſed veluti concluſiones medio modo ſe habentes: & hac ratione tradam , intelligi debere quod S. Th. loco citato docet, dum inquit: *ad jus gentium pertinent ea quæ derivantur ex lege naturæ, ſicut concluſiones ex principiis ; ut juſtæ emptiones , venditiones , & alia hujuſmodi, ſine quibus homines ad invicem convivere non poſſunt : quod eſt de lege naturæ ; quia homo eſt naturaliter animal ſociabile. Quæ vero derivantur a lege naturæ per modum particularis determinationis, pertinent ad jus civile, ſecundum quod quælibet Civitas aliquid ſibi accommode determinat.*

XXXVI. Quæ poſtrema S. Thomæ verba mihi occaſionem præ-

præbebunt de natura & conditionibus generatim juris civilis diſſerendi, poſteaquam ſatis ad meum inſtitutum de jure gentium dixero. Data itaque ejus generali deſcriptione, ſeu potius ex antea dictis in memoriam revocata, ſtatim evincam, *jus omne voluntarium civile*, ſi juſtum quidem illud ſit, nihil eſſe aliud, quam modificationes, applicationes, accommodationes, ſeu, ut loquitur S. Th. *determinationes* juris naturalis, vel etiam gentium ad caſus & facta particularia, prout cuique Civitati, Reipublicæ, aut Regno, rebus Sapientum, bonorumque virorum judicio penſatis, videbitur expedire. Juris naturæ e. g. eſt, maleficos ſceleratoſque, & pacis ſive privatæ, ſive publicæ turbatores eſſe puniendos; ſed quo debeant pœnarum genere plecti, quibuſve modis, id juris civilis intereſt definire. Jure quoque ſive Facultate naturali cuique liberum eſt facere teſtamentum; ſed quibus teſtibus, quibus ſolemnitatibus, quibuſve aliis conditionibus illud faciendum ſit, ad jus civile decernere pertinet. Verum id obiter hoc loco dictum eſto; quod fuſe diligenterque diſcutiendum, probandumque veniet, quando de jure privati dominii ſpecialis ſermo habebitur. Non enim me latet, pleroſque mordicus contendere, una tantum Principum conceſſione ſubditis liberam eſſe teſtamenti factionem: ſed hi dum Principibus adulari volunt, eiſdem non leve afferunt detrimentum. Nam ſi illorum ratio potiſſima vim aliquam obtineret, conſequens foret, ut neque Principibus ipſis liceret teſtamenta conſcribere, aut nuncupare, neque Regna hæreditaria inſtitui potuiſſent, vel poſſent in poſterum. Verum de hoc alias, uti dixi. Fateor tamen Principum auctoritate, ac univerſe jure civili, juſtis accedentibus cauſſis, tum teſtamenti factionem, tum omnia quæ ſunt juris naturalis *conceſſivi*, vel ex parte, vel ex integro ſuſpendi poſſe, aut etiam in perpetuum prohiberi. Hæc namque univerſa mutationi obnoxia ſunt ſuapte natura, & juri civili ſubjecta, juſtarum tamen cauſſarum acceſſione: quibus poſitis jam jus civile a jure naturali *jubente*, aut *vetante* ortum ducit, & cum utroque conſentit, neque proinde illud lædit, quod eſt *conceſſivum*: Ex quo fit, ut civile jus ſit æquum. Nam ut inquit S. Th. (*a*) *omnis lex huma-*

ni-

nitus poſita intantum habet de ratione legis, inquantum a lege naturæ derivatur: ſi vero in aliquo a lege naturali diſcordet, jam non erit lex, ſed legis corruptio. Dum vero Ulpianus (*a*) ait: *quod Principi placuit legis habet vigorem*; id intelligendum eſt, ſi Principis placitum ad Rationem legemque naturæ conformetur: *alioquin voluntas Principis magis eſt iniquitas quam lex*, judice D. Th. Quamobrem jus civile vetare nequit, quod jus naturale præcipit, neque quod iſtud vetat, illud poteſt præcipere. At vero, uti jam conſtat ex dictis paulo ante, quod jus naturale in utramque partem concedit, id poteſt jus civile utrinque præcipere, & prohibere: ut certis de cauſſis, volenti nubere poteſt Princeps nuptiis interdicere; nolenti contra poteſt imperare, ut nubat, ſi id bono communi Princeps cenſuerit prudenter convenire. Hinc multo magis omnia, quæ ſunt ejuſdem juris naturalis *conceſſivi* poſſunt jure civili certis conditionibus alligari: quin & illa ipſa, quæ ſunt juris naturalis *jubentis*, atque *vetantis*, cum ad commercium hominum inter ſe pertinent.

XXXVII. Quanquam vero, ut dictum eſt, jus civile nequeat prohibere, quod jus naturale jubet, neque ea quæ hoc prohibentur, illo præcipi poſſint; contra tamen pluribus oſtendam, nedum laudabile eſſe, ſed etiam maxime neceſſarium, ut jure quoque civili plurima jubeantur, quæ jure naturæ jubentur, quæque hoc vetita ſunt, illo pariter interdicantur, præmiis pœniſque propoſitis, pro rerum & criminum gravitate. Atque univerſe agam de neceſſitate legum civilium ferendarum, quæ tribus potiſſimum rationibus ſuadetur a D. Th. (*b*) ex Ariſtotele derivatis, quas ſic legere eſt: „ Dicen-„ dum, quod ſicut Philoſophus dicit 1. Rhet. c. 1. melius „ eſt omnia ordinari lege, quam dimittere judicum arbi-„ trio. Et hoc propter tria. *Primo* quidem, quia facilius eſt „ invenire paucos ſapientes, qui ſufficiant ad rectas leges po-„ nendas, quam multos, qui requirerentur ad recte judican-„ dum de ſingulis. *Secundo*, quia illi qui leges ponunt, ex „ multo tempore conſiderant, quid lege ferendum ſit, ſed „ judicia de ſingularibus factis fiunt ex caſibus ſubito exor-

„ tis.

„ tis. Facilius autem ex multis conſideratis poteſt homo videre, quid rectum ſit, quam ſolum ex aliquo uno facto. *Tertio*, quia legislatores judicant in univerſali, & „ de futuris: ſed homines judiciis præſidentes judicant de „ præſentibus, ad quæ afficiuntur amore, vel odio, aut aliqua cupiditate: & ſic eorum depravatur judicium. Quia „ ergo juſtitia animata judicis non invenitur in multis, & „ quia flexibilis eſt, ideo neceſſarium fuit, in quibuſcumque „ eſt poſſibile, legem determinare, quid judicandum ſit, & „ pauciſſima arbitrio hominum committere. „ Ex quibus conſequutione manifeſta colligitur, omnes juris quæſtiones, quoad fieri poteſt, legum latione dirimendas eſſe; quæſtiones vero facti, quod lege comprehendi non poſſint, judicio & examini Judicum relinquere neceſſe eſt.

XXXVIII. Denique inter cetera, quæ generaliter de jure civili, quatenus a jure naturali emanat, dicturus ſum; hoc unum maxime erit, quod Principes ac Magiſtratus civiles haudquaquam teneantur omnia prohibere, quæ jure naturæ interdicta ſunt, neque rurſus omnia præcipere, quæ hoc eodem jure ſunt juſſa: quin e contrario jure naturæ conveniens eſt, in Civitatibus, Rebuſquepub. minora pleraque mala, etſi publica, tolerare, contra ipſum jus naturale perpetrata, ad majora præcavenda; quemadmodum divine docet S. Th. (*a*) inquiens: „ humanum regimen derivatur a divino „ regimine, & ipſum debet imitari. Deus autem, quamvis ſit omnipotens, & ſumme bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in univerſo, quæ prohibere (*ideſt impedire*) „ poſſet; ne eis ſublatis, majora bona tollerentur, vel etiam „ pejora mala ſequerentur. Sic ergo & in regimine humano „ illi, qui præſunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua „ bona impediantur, vel etiam aliqua mala pejora incurrantur: ſicut Auguſtinus dicit in lib. 2. de Ordine c. 4. *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* „ Sic ergo quamvis infideles in ſuis ritibus peccent, tolerari poſſunt, vel propter aliquod bonum, quod ex eis provenit, vel propter aliquod malum, quod vitatur ......

„ ſcil-

„ ſcilicet ad vitandum ſcandalum , vel diſſidium , quod ex „ hoc poſſet provenire , vel impedimentum ſalutis eorum , „ qui paulatim ſic tolerati convertuntur ad fidem „ . Cavendum vero maxime eſt , ne quis hinc colligat , licitum, liberumque eſse Principibus , ac Magiſtratibus tolerare , ut , qui in vera Chriſti fide ſunt innutriti , hi pro arbitratu ſuo ab illa deſciſcant , aut ab aliis quocunque modo deducantur : hoc ſane eos decet , imo oportet omnino impedire. Tolerantia ergo utendum eſt adverſus infideles , & hæreticos , jamdudum gaudentes præſcriptione , cumque tanta eſt eorum multitudo , ut , ſi extirpari vellent , Reipub. atque fidelium cœtui grande periculum immineret . *Propter hoc enim* inquit S. Th. loco proxime citato , *etiam Hæreticorum & Paganorum ritus aliquando Eccleſia toleravit , quando erat magna infidelium multitudo* . Generatim vero maxima prudentia , & circumſpectione opus eſt in legum civilium latione ; (quæ omnes commune bonum ſibi debent habere propoſitum) ne , dum earum conditores malum aliquod cupiunt propulſare , aut bono alicui providere , bona majora, & plura arceantur , vel pluribus & gravioribus malis occaſio præbeatur . Mores præſertim inveterati , conſuetudines , indoles , & ingenia Civitatum , atque Provinciarum ſpectanda ſunt . Nam quæ leges uni Civitati , aut Provinciæ conducibiles ſunt , ſæpe aliis poſſunt eſſe detrimento . Ubi non eſt conſuetum delinquere , & certa crimina ſunt inaudita ; qui primum ea commiſerint , quanquam leviora , eos licet , imo etiam oportet gravioribus pœnis addicere ; ne mores optimi diuturna conſuetudine ſtabiliti , & ſanctiore diſciplina confirmati , remiſſione pœnæ , atque ſeveritatis depraventur , depravatique in pluribus totam inficiant multitudinem, e. c. Scorta proſcribere queunt ac debent Principes , & Magiſtratus illarum Civitatum & Regionum , in quibus homines ad libidinem proni non ſunt , neque adulteria , & turpiora crimina locum habent : quæ contra vitia ſicubi regnent , aut ne regnent, prudenter timeatur ; ibi meretrices ſatius eſt, ac convenit tolerare . Nam ut optime docet S. Th. (*a*) *principia com-*

munia